



908  
J. P79.





76.  
PETRI HOFFWENII  
Doctoris Medici & Professoris  
ordinarii Upsaliensis

SYNO-  
PSIS PHYSICA,  
Disputationibus aliquot  
Academicis comprehensa.  
Editio tertia



---

PERNAVIÆ, 1700.

**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**

## PRÆFATIO.



## Benevole Lector.



Ummihi ante Bi-  
ennium, demandat  
eset Inspectio in Re-  
gios regiae hujus Aca-  
demie alumnos, po-  
tissima mibi cura fu-  
it, talia exercitia studiose Juventuti pro-  
ponere, quæ ita comparata essent, ut  
juxta tenorem Regiarum constitutionum,  
omnibus in singulis Facultatibus pro-  
desse possent. Quale argumentum  
Scientia naturalis percommode mibi ob-  
tulit: Quippe cuius incredibilis utilitas  
tam late patens est, ut ad omnes non tan-  
tum Medicinae & Philosophiae Studiosos,  
sed & Theologiae & Jurisprudentie culto-

res

res

## PRÆFATIO

res, imo ad omnes in vita communi ex a-  
quo redundet. Quare operæ precium me  
facturum existimavi, si hanc præ cæteris  
in manus sumerem, brevibusq; Disputatio-  
nibus, quantum temporis mihi destinati  
ratio permitteret, per volverem. Imo ve-  
ro cum toto triennio p̄cedente candem  
Disciplinam publicè privatimq; proposue-  
rim, ea ipsa hisce Disputatoriis exercitiis  
tanto utilius confirmari, brevique repeti-  
tione in memoriam Auditorum meorum  
revocari posse videbatur. Quem in fi-  
nem, ab ovo, quod ajunt, Physicæ p̄-  
cepta, brevibus thesibus comprehendere,  
Deo propitio aggressus sum, eoque in ne-  
gotio sic versatus, ut novis, non magis,  
quam veterum Philosophorum hypothesibus  
expensis, eam sententiam quæ mibi veris-  
sima visa est, sequutus fuerim, atque de-  
inceps ordinariis horis inter selectos do-  
ctosque Juvenes, qui operam mibi suam  
ac diligentiam in respondendo & opponen-  
do, pro more in Academiis recepto commo-  
darunt, ventilaverim & examinaverim:

Id

## PRÆFATIO.

Id vero ita, donec totam Physicam gene-  
raliorem quæ in Academiis communiter  
tradi solet, septendecim Disputationibus,  
DEi auxilio, cui sit laus, hoc anno felici-  
ter ad finem perduxerim.

Haud displicuit conatus iste meus iis  
qui idem mecum faxum volverunt; Mi-  
nime vero iis qui bac opella qualicunque  
mea usi sunt, non modo qui stipendio Re-  
gio gaudebant, sed & quibus melior sors  
generisque splendor ac nobilitas faverit: Qui  
constanter à me peteōānt, ut has Disputa-  
tiunculas Physicas typis excudendas darem  
& denuo sibi privatim explicarem. Quo-  
rum petitio licet prorsus honesta fuerit, ta-  
men tergiversabar aliquandiu, à menam-  
que facile impetrare non potui, ut fœtum  
adhuc imperfectum immaturumque ede-  
rem, Ecclorūmque aliis & que aliis judici-  
is exponerem, antequam ceteras, quæ de-  
siderantur, partes adjicerem, quæ de plan-  
tis, animalibus, & homine conceptæ sunt:  
Quas eadem methodo & brevitate adjun-  
gere mibi animus, adeoque obscuritati,

## PRÆFATIO

Quam brevitas secum fert quodammodo  
mederi, insuperq; notas aliquas necessa-  
rias, locaque allegatorum authorum, ut &  
figuras, textum elucidantes, in calce cu-  
jusque paginæ addere. Sed discendi cupi-  
da Juventus moræ impatiens, ea ratione  
nimis produci tempus facile videns, tex-  
tum nudum Disputationum earum, quas  
paratas habebant primo quoque tempore ut  
typis mandaremur urgebat: Cæteras vero  
commentationes, sive notas, locaque cita-  
torum authorum, ipsa lectione & auditio-  
ne ex ore meo, figuræ vero ex tabula pi-  
cta percipi posse existimabat. Quoniam  
vero omnia omnibus omni tempore non  
placent: Ego autem omnibus meæ infor-  
mationi commissis omni tempore inservire  
cupiam, Impetu animorum utendum ratus,  
petitioni eorum tam honestæ amplius resi-  
stere nolui: Ideoque crudum adhuc, & in-  
cunis quasi suis laborantem Synopsin Phy-  
cam typis mandare, Tibique B. L. exhibe-  
re necessum habui. Per officiose itaque ro-  
garis, eam mibi præstes humanitatem &  
qui

## PRAEFATIO.

quietatemque , ut cum hæc asserta , sub incudem Judicij tui revocaveris , velis subinde attendere ad ea quæ supra retuli de iis quæ occasionem mibi præbuerunt , necessitatemque imposuerunt præmaturæ editiōnis , ut si quæ obscura , imposta & imperfecte expressa inveneris , ea benigne interpreteris , meique instituti rationem habere , insuperque finem respicere & exspectare digneris : Nimirum , id me non agere , ut accuratum aliquod & numeris omnibus absolutum Tibi scriptum præstem ; Sed ut gratificer duntaxat quibusdam verè studiosis , qui ob inopiam librorum , destituantur manuductore in addiscenda scientia naturali ; Neque enim ad calamum ex ore meo excipere potuerunt omnia , quæ ad eam scientiam requiruntur , tempus namque quod auditioni destinabam , dictando sibi perire nulla ratione consultum putabant , Ideoque hoc qualecumque Physicæ breviarium à me experebant , quod inter explicandum , ampliavi , diduxi , & quæ obscura videbantur illustravi , loca allegata

## PRÆFATIO.

ex ipsis authoribus ostendi; In quem si-  
nem, chartam nitidiorem electam, ampli-  
oraque marginalia relicta vides, apposita  
quoque signa, & literas; ut sicubi vel ob-  
scurior aliquis locus occurreret in brevia-  
rio non satis expositus, illum explanare  
auditoribus, ut ipsi notas meas suis locis ad-  
scriberent. Nec recuso B. L. si intellexe-  
ro hoc Tibi gratum esse, Deusque mihi vi-  
tam sanitatemque largiatur, uberioribus  
quisque necessariis notis rem totam illustra-  
re, queque hic desiderari videntur ad finem  
adficere, ut perfectæ quodammodo Physicæ  
vice fungatur. Quapropter coronidis lo-  
co hic mihi monendi sunt Typographi qui-  
cunque, ne inscio me hanc Synopsin Physicam  
recudant, scituri si fecerint, aliam illico edi-  
tionem à me si DEus volet, adornatum iri,  
notis, novisque, uti promisi, additamentis  
locupletatam. Interim hisce B. L. recte frue-  
re, boni consule, & si meliora his meditari,  
publicoque impartiri potes, facito, & grati-  
am majorem merebere. Vale.

Ad



**Ad**  
*Clarissimum Experientissimumq; Virum*  
**D. PETRUM HOFFWENIUM**  
Doct. Medic. ejusdemque Facul-  
tatis, nec non Physices in Academ-  
ia Upsaliensi Professorem Regi-  
um & Ordinarium Synopsin suam  
Physicam diu desideratam &  
expetitam edentem.

**H**Æcceitas, Reitas, Enteitas U-  
bietasq;  
Personaleitas, speciosa & ne-  
scio qualis  
Quandoitas, nobis non parum exosa  
chimœra,  
Et Suppositaleitas, ubicatio juxta  
Et Formaleitas longum formosa per  
orbem  
Nobilis Hercle! cohors, sedvis mite-  
randatorum  
Novem hæ musæ sunt, spectatae  
tempore longo.  
Non colithassapiens, & tu celeber-  
rime Doctor,

**I**d monstras libro hoc, quo recto tra-  
mite ducis

**A**d limen veri, porro & penetralia  
dextre.

**H**aud aderit quis quam, credo, nisi  
turpiter iners,

**Q**uin non agnoscat summa cum laude  
laborem.

*Sinceri officiosig. animi testandū  
causa Scripsit*

**JONAS FORNELIUS**

*Mathem. superior. in Acad. Reg.  
Upsal Professor Ordinarius.*

**In Disputationes Philosophicas**

*Experientissimi & Celeberrimi Viri*

**DN. PETRI HOFFVENII**

*Med. Doct. & ad Acad. Upsal.*

*Prof. Reg. & Ordin.*

**P**rīscā tulit legem sapientia: Reddi-  
te causas.

*Veneat aut Flocco gloria ve-  
stra, Sophi*

**Barbara post illam successit Natio cla-  
mans:**

**Unus Aristoteles arā salutis adest.**

Tertia gens recte rationi vincula mille  
Nectit, & Ancillæ munus obire  
jubet.

Non loquor Ancillam quam possunt cœlica  
verba;

Hæc enim ē Ancillam vera referre vo-  
lunt.

Sunt alii quorum pervasit pectora virus.

Et volitat spissus per cerebella vapor,  
Quiq; ruunt per mille vias ē nana sequun-  
tur

Somnia, quæ fallax Heresiarcha videt.  
Hi dominam servire docent, sublimeque  
raptant.

Atque jubent partes quisque fovere suas.  
Pura fides veri si forte rogetur ab illis,

An sit habenda fides, secta roganda  
venit.

Frisca tibi mens est Hofweni, & sanctio  
prisca

Omnianam certâ vis solidare fide.

Officii & observantiae causâ  
scripsit

ANDREAS NORCOPENSIS  
Eloq; Prof. Ordinarius.

(6) In-

\* (o) \*

# Index & Series Disputa- tionum Physicarum:

I ma Proemialis brevia Prolegome-  
na Physicæ complectens P. I.

II da De principiis rerum natura-  
lium in genere & in specie de  
Materia prima, Loco & Vacuo.

4.

III tia De Formis veris & intelligi-  
bilibus corporum naturalium  
& inspecie de Motu ejusq; Le-  
gibus.

8.

IVra De Actione, passione, & resi-  
stentia, deque earum viribus,  
& unde illæ æstimari debeant.

14.

Vra De cæteris causis variationis  
motus corporum nimirum  
Consistentia, Figura, Asperita-  
te, Lævitate, Raritate, Densita-  
te & Situ.

17.

\* (o) \*

VIIa De Mundo ejusq; Attributis

26.

VIIIma De modo tractandi Physi-  
cam specialem in Genete & in  
Specie de Elementis. 30.

VIIIva De Elementorum Secretio-  
ne, & quomodo Cœlum & Sol  
ex iisdē oriri potuerit. 40.

IX na De Maculis Solis, Stellis di-  
sparentibus & novis deque Co-  
metis eorumq; Effectis & Pha-  
sibus. 46.

Xma De Planetis eorumque phæ-  
nomenōn causis 51.

XIIma De Cœli quibusdam Effecti-  
bus seu Qualitatibus quæ com-  
muniter Elementis attribui so-  
lent, Pelluciditate etc. 61.

XIIIma De terræ ortu & incremen-  
to ex Hypothesi nostra secun-  
dum

\*<sup>co</sup>\*

dum leges naturæ possibili, de-  
que Elementorum vulgarium  
ortu & secrezione.

70.

**XIII**ta De Terra quei Globi in par-  
tibus inæqualitate, Terræ Mo-  
tu, Mari, Campis, Planicie,  
Montibus, Vallibus, Cryptis,  
nec non de Fontibus, Flumini-  
bus, Abysso, eorumq; Catacly-  
mis

76.

**XIV**ta De Effluviis variis, Vento &  
Æstu Maris.

81.

**XV**ta De mineralium & Metallo-  
rum ortu, deq; principiis Chy-  
miciis itemque de Acido & Al-  
kali.

89.

**XVI**ma de Igni ejusq; Effectis.

97.

**XVII**ma De Magnete ejusq; Effe-  
ctis & Proprietatibus. pag. 105.

Phy-

\* (1) \*

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPUTATIONUM

# PHISICARUM

PRIMA,

*Prologomena Physicæ brevia  
complectens.*



Ulamvis Phy-  
sica reliquarum di-  
sciplinarum, a) Phi-  
losophicarum non  
solum , sed & Juris-  
prudentiæ & Medicinæ radix & fun-  
damentum dicatur; tamen nulla ea-  
rum ad hæc usque tempora, minus  
exulta est ac cognita, quam Physica:  
2. Cujus rei causa esse potest, quod  
ad neutram reliquarum disciplina-  
rum ita præjudiciis b) occupati ac-  
cedant auditores (c) quam ad audi-  
endam (d) Physicam: Unde suum  
ubiq; præjudicium interponendo, (e)  
sequè scire sibi persuadendo, quæ ta-

A

men

men ignorant, f) minus addiscunt,  
scientiamq; Physicam perficiunt.

§. 3. Præoccupationis g) vero talis  
causa prima esse potest. Quod objecta  
b) Physicæ sensibus magis pateant,  
â primo ortu, usque ad finem vitæ,  
quam cæterarum disciplinarum,  
Theologiæ puta, ac Jurisprudentiæ:  
Nam auditori Physices ab ipso ortu  
non solum quædam i) objecta pro-  
pria k) dicta, sed & coñunia l) ob-  
versantur, quæ auditor Physicæ, par-  
tim ex necessitate, m) partim usu &  
commodo, n) partim etiam volu-  
ptate o) æstimans, format inde con-  
clusiones p) tales, quarum i. esse po-  
test, quidquid hoc modo q) percipit,  
hoc aliquid reale, r) extra se & sen-  
sum esse s) judicat t) 2. da, Quicquid  
sentimus, illud tale & ibi est, quale &  
ubilentitur. Et contra ȝtia, Quod  
sensu non percipitur, nihil est, ob  
quam conclusionem vacuum statui-  
tur in Mundo, & plus substantiæ in  
denso quam in raro. u)

§. 4.

§. 4. *Secunda causa est, quod auditor Physices jam provectior redditus, formet adhuc alias conclusiones, ex quibus scientiam sibi facit complexam, x) ex Attributis y) nimirum & Accidentibus, z) quæ rebus imponit.* a) Qualia sunt Potentiæ , b) Vires , c) Facultates , d) qualitates reales, e) quæ tamen nunquam perspecta, explorataq; habuit. f)

§. 5. *Tertia causa sunt Nomina g) erroneis illis conclusionibns & fragmentis imposita, quæ prohibent quo minus hypotheses h) istæ oblitterentur.* i) Accedit propria φιλαυτία, quā quisq; gaudet sibi talia nomina didicisse, quibus multa loqui, referre, docere, supraq; vulgus sapere se putat.

§. 6. Cavebimus autem talia infantiae præjudicia, si semel in vita k) animoq; constanti l) nobis proposuerimus Nulli rei temere credere m) vel assentire , priusquam eandem probe, h.e. clare, n) distinetque o) perceptam habeamus, ut nulla am-

plius de ea re dubitandi causa p)  
superfit.

§. 7. Hoc ipso ipsius naturæ q) ar-  
cana penetrabimns, Physicamque  
quæ vere scientia r) corporum natu-  
ralium s) sit, DEo propitio, invenie-  
mus.

§. 8. Quoniam corpora naturalia  
tam multa sunt, ut ea singula nulla  
ætas nullū humanum ingenium ex-  
haurire possit: Quare ea multa quæ  
uno t) conceptu comprehendi pos-  
sunt, u) generaliter quoq; tradi de-  
bent, & Specialia x) specialiter, ast o-  
mnia Methodo Synthetica. y) Unde  
Physicam in partem Generalem &  
Specialem dispescimus.

### Disputationum Physicarum Secunda.

*De Principiis rerum naturalium in Gene-  
re, & in Specie de Materia prima, Loco  
& Vacuo.*

**P**hysica definita est scientia corpo-  
rum naturalium. a) Scientia: b)  
quia demonstratrix naturæ. De-  
mon-

monstratrix: quia ex datis Natur-  
libus verum infert, in quo mens ac-  
quiescere potest. Naturæ: quia Es-  
sentiæ c) & Essentialium. d)

§. 2. Essentiam constituunt Mate-  
ria & Forma, e) quæ & principia di-  
cuntur: quia illis convenit Definitio  
principiorum tradita ab Aristote-  
le. f) Materia per se g) subsistit. For-  
ma in h) Materia. Materia duplex est,  
Prima & secunda.

§. 3. Materia prima est corpus ge-  
neraliter i) spectatum sine formis,  
formas enim si removeris à Materia  
secunda, nihil ptæter corpus k) ea-  
rundem Subjectum est reliquum, ut  
docet Aristoteles. l) Dicitur eidem  
Σώμα, m) τό πᾶν n) οὐκος o) Διάστημα τῷ  
μεγάθεστῷ p) ἡ ψληq) etc.

§. 4. Consistit autem ratio Corpo-  
ris seu Essentia Materiæ primæ, non  
in pondere, duritie, colore aliave sen-  
sibili qualitate, nec in divisibilitate &  
impenetrabilitate, quæ Essentiam e-  
jus seqvuntur; Sed in solâ Extensio-

ne positiva r) absoluta sed generaliter  
spectata, indeterminata s) & indefini-  
ta, quæ reliquarum passionum, t)  
qualitatum & potentiarum subje-  
ctum est. u) Ideoque in prædicamento  
Substantiæ ponenda. Nam nisi hæc  
sτια esset, quæ alia, fugeret nos, inquit  
**Aristoteles.** x)

§. 5. Extensio vero determinata,  
quæ secundum longitudinem, latitu-  
dinem & profunditatem definita est,  
**Quantitas** determinata dicitur, y) &  
accidens est: Extensioni quippe ac-  
cidit, quantæ & tali esse, ut disertis  
verbis docet Aristoteles. z)

§. 6. Nihilominus hæc accidentia  
in Materia, una cum Materia secun-  
da Essentiam, compositum & σύνολον  
constituunt, formæque rationem  
habent, unde sτια etiam cum Mate-  
ria constituunt, ut clare docet Ari-  
stoteles. a)

§. 7. Quoniam in omni loco & spa-  
tio est Extensio, quam corporis con-  
stitutivum, seu idem quod Corpus  
&

& Materiam esse diximus; Hinc se-  
quitur primo, Nullum dari vacuum  
absolutum, seu aliquod spatium vel  
minimum vel imaginarium, quod o-  
mni Corpore sit destitutum, seu in  
quo sit purum putum *Nihil*, ut docet  
Arist. b) Secundo, Nullum corpus al-  
terius locum, eo manente. occupare  
posse, seu quod idem est, Non dari  
penetrationem dimensionum, c) ita-  
que tam impenetrabilis est aér,  
quam saxum, aut quodvis durissi-  
mum densissimumq; corpus.

§. 8. Quoniam etiam omne Exten-  
sum habet partes extra partes, hinc  
sequitur primo, Omne corpus esse  
divisibile. Et quia nulla divisio effi-  
cere potest, ut corpus omnem depo-  
nat extensionem, quin semper par-  
tes extra partes maneant; Hinc se-  
quitur 2. Nullum corpus esse tam  
parvum divisione factum, quin in in-  
definitum adhuc dividi possit, si divi-  
dens adsit. Unde sequitur 3. Nullum  
corpus majus vel minus fieri posse,

manente eâdem Substantiâ, ut fieri putant in rarefactione & condensatione.

¶. 9. Et quoniam Materia hoc modo spectata, est una eadémq; per totum Universi extensa, ideo una eademq; rerum omnium, cæli terræq; est materia prima, nec plus corporis d) & Materiæ primæ est in spatio auri pleno, quam si in eodem aër vel spongia contineretur, ut demonstrat Arist. e) Contra Werulam. f) qui loc. cit. tabulam prolixam expansionis & coitionis materiae in diversis corporibus proponit.

### Disputationum Physicarum Tertia.

*De Formis veris & intelligibilibus Corporum naturalium, & in specie de Motu ejusq; Legibus.*

Quoniam Materia prima in formis, inefficax, a) & otiosa est: per se itaque varietatem nullam efficit. Quare certis Intelligib; formis, videlicet, Magnitudine, Figura, Situ, Motu

Motu, Quiete derminetur actuetur-  
que b) necesse est, si Materia secunda  
& activa reddi debeat.

§. 2. Quamvis enumerata acciden-  
tia Corpus seu Materiam primam in-  
formant, ut sit *hoc aliquid*, c) tamen  
non omnia simul, æqualiter & æque  
primo ad illud informandum con-  
currunt, unde nec omnes hi extensi-  
onis modi d) Principii naturam ex-  
plent: Namque Magnitudo, Figura,  
Situs & Quies, dispositio e) dunt taxat  
materiam actuant, solus vero Motus  
effectivè; Quia efficit in corpore mu-  
tationem omnem, cæteroscj modos  
omnes præter Quietem inducit,  
unde motus solus inter reliquos mo-  
dos corporeos f) Principii nomen  
meretur.

§. 3. Per motum hic non intelligi-  
mus mutationes aliquas in Mente,  
Sensu g) vel Appetitu, quemadmo-  
dum finis artificem, Orator audito-  
rem, Objectum sensus movere dici-  
tur, sed solum Motum localum, qui est

*translatio unius partis materiae, de vicinia corporum immediate contingentium, in viciniam aliorum.*

§. 4. Estq; hæc translatio non actio aliqua quæ translatorem respicit, aut quæ consideratur actu in movente & potentia in mobili, qualiter describitur Motus Aristoteli. b)

§. 5. Sed est Actus, Status, *εντελέχεια*, Forma absoluta, spectanda in Mobili quatenus mobile; ut hoc modo illum definit Arist. i) & Jul. Cæs. Scaliger k)

§. 6. Hâc ratione & in statu absolute multa consideranda veniunt, ut Eruditio, aliaq; multa verbalia in IO Grammaticis dicta, quæ Philosophice nominaliter sunt accipienda, pro *Status & Forma absoluta*, sine respectu ad agentem vel patientem, unde non major requiritur actio ad motum quam ad quietem, utrobique enim nulla.

§. 7. Quoniam vacuum l) nullum datur in natura, nec penetratio dimensionum; Hinc corpus motum, conti-

guum semper loco pellit, hoc iterum aliud sibi proximum, & denique hoc aliud, quod eodem momento <sup>m)</sup> in locum prioris succedit; unde omnis motus fit *per circulum & in instanti n)* & Motus in augustiniori loco acceleratur, ita ut loci angustiam compenset motus acceleratio.

§. 8. In Motu consideranda sunt duo, Motus *vis* seu *impetus*, & ejusdem *directio* seu *determinatio*. Impetus quo ad copiam & intensionem unus idemque semper in toto universo permanet, o) nec nisi quieti contrarius est. p) Determinatio vero motus varia est, sibique quandoque contraria. q) unde in diversis locis & materiæ partibus, modo major, modo minor, & modo sonus, modo calor, modo frigus, modo lumen, modo lux, sapor & odor audit.

§. 9. Motus non temere, sed certis legibus r) in natura fertur, quarum prima esse potest. *Omne corpus corporis ue forma permanet s) in suo statu, t) donec ab alio deturbetur;* seu, ut Arist. lo-

qui amat, u) Quidquid movetur, ab alio  
movetur.

§. 10. Ex hâc lege fluit hæc Secunda.  
Nam cum motus eam semper servet  
determinationem ad quam primo  
determinatus est, Hinc sequitur, o-  
mne corpus motum pergere moveri linea re-  
ctâ: ita ut si vi cogatnr per circuitum  
ferri, sêmper tamen conetur recedere à  
centro, x) & viam rectam, vel rectæ  
quam proximam tendat, quod in  
funday) aliisq; circumgyrationibus  
experimur.

§. 11. Sed quoniā Mundus corpori-  
bus est plenus, quam primum itaque  
corpus moveri incipit, impingit in  
aliud quiescens, de quo lex tercia: Si  
id quod movetur majorem vim habeat ad  
movendum, quam alterum in quod impin-  
git, vim habeat ad resistendum, b. e. quie-  
scendum; tum corpus movens rapit secum  
corpus quiescens, tantumq; quietis ab ipso re-  
cipit, quantum ei communicat Motus. Si  
vero corpus Motum minorem vim habeat  
ad movendum, quam alterum in quod impe-  
nit

git habuerit ad resistendum, tum illud secum non movet, sed ab eo reflectitur, retinendo suum motus impetum, sed mutando vicissim motus determinationem; Desinit enim linea recta progredi, incipitque fleti in eam partem, quam corpus objectum quiescens illud determinavit.

§. 12. Quemadmodum à DEo dependet omnis certaque quantitas Materiæ in Mundo, ita DEus certam quantitatem motus materiæ indidit, quam etiam ad finem mundi conservat, qui motus dicitur Universalis, quem supra §. 3. definivimus. Motus vero particularis est certa talisq; determinatio motus hujus vel illius partis materiæ, 2) quæ tota ab hac legi tertia dependet, veluti cursus, saltus, ambulatio, ascensus, fluxus, de- stillatio, conversio, gyratio, projec- tio, claudicatio etc. de quib<sup>9</sup> in Phy- sica Speciali agendum est.

§. 13. Hinc consectorium fluit, si quid in actionibus erroris contingat, illud non causæ motus universalis,  
quæ

quæ semper similiter & uniformiter agit: sed causæ particulari seu materiæ secundæ, quæ motum variat, deberi.

## Disputationum Physicarum Quarta.

*De Actione, Passione, & Resistentia, deg, ea-  
rum Viribus, & unde illæ estimari de-  
bent.*

**A**ctionem hic intelligimus, non immanentem seu elicitem, quæ terminatur in se suoq; subiecto à quo pendet, qualis est actio mentis: Sed transeuntem, quæ effectum exrra subiectum à quo procedit sortitur:

§. 2. Eamque actionem describimus per effectus resultantiam in subiecto alio, ab alia causa sine actione immanente introductam. Velsi placet brevior. Actio est introductio alieni status in fieri. a)

§. 3. Passio, contra, est receptio alieni status in fieri.

§. 4. Resistentia vero est non admissio illius mutationis status, qua se oppo-

opponit agenti, actionem ejus non recipiendo, unde nec patitur.

§. 5. Vires agendi & patiendi & resistendi consistunt in realitate b) statuum, in qua unum quodque manet immutatum, c) nisi ab alio fortiori mutetur per legem primam.

§. 6. Vix hæc & fortitudo d) ad dupli- ci Principio æstimari debet, Uno *Ex- tensivo*, e) quod in duobus consistit, 1. Magnitudine molis cui inest: **Quia** in majori quanto major est virtus. 2. In magnitudine superficie, qua corporum aliud ab alio disjungitur. Hinc corpora quæ magnam & latam superficiem habent, veluti expansa retia & vela, externorum objectorum passioni magis exposita sunt. Quibus vero major moles sub minori superficie inest, ut globo & sphætæ, majorem vim resistendi & agendi, suumque statum servandi habent.

§. 7. Altero *Intensivo*, quod consistit in celeritate motus 1. Ratione plurium graduum in motu, f) 2. partum in mo-

mobili ad eundem motum consentientium g) unde tanta fornicum vis, propter vim gravitatis partium in fornice consentientium ad eundem motum, quæ si continuo in corpus ante motum impingant, continuo etiam motum ejus intendunt; hinc lapis de sublimi descendens, quovis descensus momento incrementa motus capit, h) donec ad eandem cum materia cœlesti motus celeritatem perveniat. i)

§. 8. III. Ratione modi contrarietas, k) quo corpora mota sibi invicem occurrunt: qui duplex esse potest. Unus inter corpus motum & quietum, alter inter contrarias determinationes corporum occurrentium & aliter motorum, quæ contrarietas occursus seu Physica dici potest. l)

§. 9. Cujus plurimi sunt gradus, inter maximam scilicet oppositionem, qualis est in A & B, & minimam, qualis est inter circuli peripheriam & tangentem lineam. Vid. Euclid. m)

§. 10.

§. io. Extensioni quæ est in mobili, intentio motus respondet. Hinc si corpus A duplo celerius moveatur quam B, & corpus B duplo majus sit quam A, tamen in utroque tantum motus est.

§. ii. In Corporum occursu, quod viribus majus est, semper sortitur suum effectum.

### Disputationum Physicarum, Quinta;

*De cæteris causis variationis Motus, Corporum, nimirum Consistentia, Figura, Asperitate, Lævitate, Raritate, Densitate ac denique de Situ.*

PRæter enumeratas causas determinationis Motus, Corporum et jam Consistentiam, Figuram, Situm atque ab his provenientes poros internos <sup>a)</sup> numeramus, ab iisque Formarum distinctionem petimus. Quæ licet Motum authorem agnoscant, tamen eundem postmodum determinant variantque. <sup>b)</sup>

§. 2. Consistentia est certus modus  
B Sub-

**Substantiæ, quo omne corpus est aut Fluidum seu molle, aut Durum seu firmum.** Hoc cohæret & motibus aliorum resistit; Illud vero cedit. Prout itaqe corpus motum aut durum aut fluidum fuerit, ita vim agendi resistendique variat.

§. 3. Consistit vero fluidum in eo, quod sit in minimas partes divisum, singulæqe partes inter se motibus variis *c*) agitantur, ita tamen, ut non plures in hanc quam in illam partem ferantur, unde motus quodammodo circulares imitantur, nisi simul motu progressivo *d*) moveantur.

§. 4. Fluidorum omnium non æqualis divisio *e*) est, nec æque celer partium agitatio, unde in fluidis gradus multi spectandi sunt. Uti summe divisa & fluida est Materia primi Elementi sic Aristotelis dicta, quæ propterea omnia spatia replere, omnibusque angulis & figuris se accommodare potest; Unde fluidum persege dicitur, cætera vero omnia per

per participationem huj<sup>9</sup> talia sunt.  
 Sic aër fluidus est: quia partes habet  
 inter se volantes: aqua v. & oleum  
 partes solummodo repentes. Cæte-  
 ra denique mollia, ut cera, pix, vis-  
 cum & his similia, in tantum mollia  
 sunt, in quantum calore solis vel i-  
 gnis imbuuntur, quo deficiente coë-  
 unt duraq<sup>j</sup> evadunt. Et ex his quæ-  
 dam lenta & viscida, quædam duræ  
 & friabilia redduntur, prout cuiuscq;  
 partes proprius & secundum pluri-  
 um partium superficies totas; vel in  
 quibusdam saltem punctis cohære-  
 ant seque invicem tangant.

§. 5. Duri & firmi ratio in eo consi-  
 stit, quod singulæ partes ex quibus  
 constat, inter se cohæreant g) & qui-  
 escant, magis tamen aut minus, pro  
 cuiuscq; cohesionis aut texturæ mo-  
 do: Unde etiam in duris gradus sunt  
 spectandi. Absolute dura est ea ma-  
 teria quæ immediate ab ipsa materia  
 prima est formata, qualis est globu-  
 lorum æthereorum, b) extra quos ↗

**N**ullum ex Elementis compositum absolute durum datur, h.e. cuius partes ita cohærent, ut nulli inter eas sint meatus, aut pori, materia <sup>k)</sup> cœlesti repleti. Nihilominus respectu ad alia, inter durissima censentur lapides pretiosi. Cætera vero, ut silex, lapides communes, vitrum, metalla, terræ, ligna, plantæ & animalia, <sup>h)</sup> quorum singulæ partes in initio quidem molles, sed postmodum induratae, certis gradibus à durissimis redundunt, in quantum plus aut minus de materia mobilis) seu fluida participant.

**§. 6.** Ex hâc doctrina sequentia commode solvuntur Problemata, quorum I. est, cur fluida corpora instantium corporum motus, non, ut firma, remorenur, sed saepius juvent? Quia motus motui non est contrarius. II. Cur dura in fluido posita stent in æquilibrio, & vel minima vi ab eodem turbentur? Quo intuitu Archimedes dixit, Da mihi pun-

ctum

Etum extra terram ubi pedem figam, & hanc loco dimovebo. III. Si corpus durum undiquaque liberum in fluido motu progressivo natet, ejusdem motui obsecundabit, adeoque movebitur non suo, sed alieno motu.  
 b) Si vero idem corpus mutet locum proprium, a) h. e. viciniam corporum proxime contingentium contranitaturque flumini, ut semper eiusdem situm p) servare videatur respectu riparum, vel alterius puncti remoti in cœlo vel alibi: tum vel ab alio impedimento remoretur, vel proprio motu contranitatur necesse est. IV. Mollia & fluida quamcunque accipere figuram aduris possunt, & vice versa, dura a fluidis teri & levigari possunt, si in ea fluida impingant diu & continuo, juxta illud, *Gutta carat lapidem sepe cadendo.*

§.7. Figura est extremitatis corporis certa Dispositio, seu Modus quo corpus terminatur q) a motu introductus, qui vicissim motum variat.

B3

Unde

**Unde sequitur, Quod quidquid nulla extremitate donatū est, illi nulla certa figura assignari potest, ut Mundo.**

**§. 8. Figurarum sphærica est uniformis, r) simplicissima, robustissima & capacissima adq̄ motum aptissima. Angulata vero ad motum minus apta; sed ad compositionem aliorum corporum accommodatior. Si tamen agitetur diutius, angulos suos sensim deponit, & rotunditatem acquirit, siquidem rotunda figura a linea recta minus deflectit. s)**

**§. 9. Ex figurarum varietate in superficie t) oritur asperitas & lævitas; Asperitas est partium in superficie corporis inæqualitas. Quemadmodum Lævitas est earundē æqualitas aut in unā partē æqualis inclinatio, u) quæ effectibus in eo differunt, quod lævia & polita asperis ad motum aptiora sunt, lumenq; reflectunt, x) aspera verò lumen confundunt & suffocant. y)**

**§. 10. Ex figurarum varietate in internis oritur rarum & densum, cum quibus**

X C 1, 94  
quibus non debent confundi *Tenuē*  
& *Crassum* aut *Durum*. *Rarum* est  
quod habet partes, inter quas sunt in-  
tervalla majora fluidiore materia re-  
pleta. Si intervalla sint exigua par-  
tesque parvæ & subtile, *Tenuē* dicitur:  
contra *Crassum*, cuius partes magnæ.

§. II. *Densum* est in quo exigua &  
parva admodum sunt intervalla, seu  
quod ferè totum sui est, vulgo *Massyf*  
dicitur. Cum quo non est confun-  
dendum durum, quod etiam rarum  
esse potest, & contra densum flui-  
dum; sic densum dicimus agmen,  
densa pluvia, densus ignis, licet terra  
sit durior. Aurum ferro densius,  
sed terrum auro durius, non densius.

§. 12. Corporum intervalla interio-  
ra, tam fluidorum quam durorum,  
*Pori* dicuntur qui nihil aliud sunt quā  
meatus, foveæ, rimæ, foramina &  
cavitates partium internarum, ma-  
iores minoresve, prout corpora ex  
quibus composita sunt, æquales vel  
inæquales superficies habuerint. Un-

de nulla dantur corpora composita, poris, aliâ materiâ fluidiore imper-  
via, per quos interior textura & for-  
ma designatur, quæ una cum textura  
externa internaq; species corporum  
distingvit. Nam similiūm corporum  
similes sunt pori, & dissimiliūm dissi-  
miles, ita ut per poros, alia corpora  
sunt perspicua, alia opaca, alia sono-  
ra, gravia, levia, viventia & vitæ ex-  
pertia. Propter poros dura & flexa  
resiliunt, in eundem situm, & pro-  
pter eosdem directos fiunt pellucida  
ut habet Aristotel. 2) Pori in duris ma-  
gis constantes sunt, in fluidis vero  
mutabiles.

§. 13. *Situs* est ipsa corporis inter a-  
lia corpora vicina positura, a) quæ si  
inter plura spectetur *Ordo* dicitur, cu-  
jus variationis quanta vis insit ex li-  
terarum Z & N. U & N. ut & cyfera-  
rum 1. 2. 3. 4. 5. etc. ordine & positura  
ad nullam O relata. Itemque ex lin-  
gvæ flexura & positura varia appa-  
ret, quam inde varius literarum nu-  
mero-

merorumq; valor, soniq; varia potestas emergat, ut hoc etiam animadvertisit Aristot. *b)* Quanto magis situm esse putandum est in variatione posituræ ordinisque partium corporuq; naturalium, quæ ita inter se necuntur, ut motus suos mutuo dent vel accipient. Unde ex his modis, omnium actionum corporearum, *c)* & tam manifestarum quam occultarū qualitatū variationes, vires & causas dependere evidenter colligitur.

*§. 14.* Quantum vero cuiq; ex enumeratis tribuendum sit, difficilis est admodum calculus: Quia nulla dantur corpora absolute dura, *d)* nec dantur corpora à fluidis circumstantibus, etiam insensibilibus libera, unde vel impedimenta vel adjumenta ad motus suos accipiunt, vel deniq; una pervaidunt alia, *e)* unde à se ipsis moveri videntur. Quare recte facere eos existimamus, qui naturam primo in simplicitate sua considerant, & deniq; quid in compositione valeat, docent. B5 Di-

T 207 K

## Disputationum Physicarum Sexta.

*De Munda ejusq; Atributis.*

**M**undus Græcis κόσμος, ab ornatu, elegantia & pulcritudine sic dictus, universum rerum creatarum ordinem comprehendit, unde etiam τὸ πᾶν. τὸ οὐλον vocatur, quod soli terræ tribui nequit.

§ 2. Definitur Mundus Aristotelii  
a) quod sit coagmentatio ex Cœlo &  
Terra, reliquisq; rebus, quarum na-  
tura illis continetur; Vel quod sit re-  
rum omnium ordo ornataq; disposi-  
tio à DEo creata conservataq;.

§. 3. Hinc colligimus I, Mundum  
esse unum, in eoq; unico condito  
clarius elucidere DEi omnipotentiam,  
quam si plures condidisset vel con-  
dere vellet: Nam plures esse mun-  
dos contradictionem involvit. b)

§. 4. II. Quoniam nihil affirmare  
convenit, nisi quod clare & distincte  
c) percipimus, & nos nulos fines  
mundi capere possumus, d) nulos i-  
taq;

taq; mundi extensionis fines assignamus, quo ipso non dicimus nullos revera mundi fines esse, vel nullos plane ejus terminos dari posse, quasi finitus noster intellectus, omnia quæ sunt, aut posset aut deberet comprehendere. Mundi itaq; fines, si qui sint, DEO sine dubio, & Angelis forte cogniti, non definimus aut determinamus; Sed nostri respectu Mundum ut indefinitum & indeterminatum spectamus; h.e. neq; extrema, neq; medium, seu centrum, neq; formam, neque Figuram, neque locum aut situm Mundo tribuimus, e) Unde re ipsa infinitum Mundum non asseveramus; sed infiniti titulum soli DEO reservamus f)

§. 5. Intera respectu habito ad partes, formam & pulcritudinem mundo tribuimus, quæ consistit in partium delectabili varietate, ordinataq; dispositione, absoluta plenitudine, & indissolubili connexione & constancia; quæ velex eo elucet, quod cum

cuncta loca corporibus sint oppleta,  
nihil quidquam tamen materiæ vel  
motus ex nihilo producatur, vel in  
nihilum redigatur, g) vel longa mul-  
taque divisione, in spiritum seu men-  
tem omni extensione carentem mu-  
tetur: Quia divisio molem corpore-  
am nec facit nec tollit, sed invenit.

§. 6. III. Hinc etiam negamus dari  
corpuscula Naturâ sua individua h)  
quæ partem extra partem, vel dex-  
tram vel sinistram, superiorem vel  
inferiorem non habeant, quæ *Atomos*  
vocant. i) Admittimus tamen in Ma-  
teria secunda, minima naturalia di-  
cta, quæ in sui generis k) minora divi-  
di nequeant, remanentibus eadem  
Essentia, Materiâ secunda, Formâ ac  
 nomine.

§. 7. Excipimus vero Materiam  
primi elementi, quæ indefinitè divi-  
sibilis, indefinitæq; parvitatis est, ac  
ad omnē genus figurarum & spatio-  
rum accommodari apta, nunquam  
ita minima facta, quin adhuc si res.

po-

postulat, minor fieri possit. 1) Unde nec Mundus vacuum 2) vel minimum admittit.

§. 8. Mundus materialis constat particulis insensibilibus seu minoribus, & sensibilibus seu majoribus quæ ex insensibilibus coagmentatae sunt: quæ, dum ad æquam molem excreverunt, ut sensibus capi discernique possint, à nobis primum observantur, suisque nominibus insigniuntur. Neque propterea in rerum natura non sunt, quæ nec observata sunt, nec nomina acceperunt.

§. 9. Hinc historia Naturalis specialis initium desumit, Mundumque adspectabilem in tria Corpora diversa dividit, I. in lumen emittentia, quæ lumen de se emittunt, & lucida per se 2) sunt, ut Sol, Stellæ fixæ & Ignis luctens. 3) II. in lumen transmittentia quæ pellucida sunt, vel per se 4) ut æther seu cœlum; vel per hoc, ut aëris, aqua, aliaque diaphana sive mollia sive dura, ut vitrum, glacies, Adamas

&amp;

& Crystallus. Confer Aristotelem. q)  
III. In lumen remitentia seu refle-  
ctentia, quæ lumen in se impingens  
reflectunt & aliorum dirigunt, ut  
sunt omnia corpora opaca, umbrosa  
& colorata, sive mollia sive dura fue-  
rint, ut Terra, Cometa & Planeta,  
lac & atramentum.

§. 10. Adspectabilis Mundi in par-  
tes integrantes allata Divisio & Na-  
turæ rei, & Logicis præceptis con-  
gruit: quippe quod membra divi-  
denta inter se sunt opposita, absolu-  
ta & positiva. Rei vero dividendæ  
adæquata; utpote à Materiæ mun-  
danæ præcipua proprietate Lumine,  
ejusdemque origine Motu, à sensu-  
um subtilissimo Visu, in proprio ob-  
jecto, observato, petita.

### Disputationum Physicarum

#### Septima.

*De Modo tractandi Physicam Specialem  
in Genere, & in Specie de Elementis  
Physicis.*

**P**hysica Specialis Historiam Natu-  
ralem

ralem & ipsam Scientiam Naturalem comprehendit. Historia refert quæcunque in Natura, multis seculis observata sunt, sive in Cœlo, sive Aëre & Meteoris, sive Terraquo globo in speciebus fossilium, animalium & plantarum etc. Hujus usus est, Materiam seu objectum Scientiæ naturali præbere: Quia Historia naturalis το ὥτι narrat, sed rationem non addit; Ideoque dicit potius quam docet. Et quoniam sensuum ope experientiaque acquiritur, hinc veritatem quidem attingit, at non semper absolutam *a)* sed ad nos relatam. *b)* Huc referendi sunt Aristotelis libri de historia Animalium, Theophrasti historia Plantarum, & Plinii historia Naturalis, Mosis Historia Creationis, & quæcunque præterea, sive Sacer codex de Naturalibus *c)* ex incidenti commemorat, sive Astronomi de rebus in Cœlo apparentibus, sive Philosophi alii & Chymici per experimenta & assiduos labores in natura ob-

ra obſervarunt. Gerhard. Voſſ de  
Philosophia. d)

§. 2. Scientia vero Naturalis cauſas rerum & eorum quæ in natura apparent exponit, atque r̄ dicit doceat, ideoq; ita magis Philosophica est; quia ſoliuſ ingenii & rationis opus est, quod rationes ſcrutetur & inve- niat, eamque cauſam nos ad verita- tem rerum abſolutam e) deducit. L- dem f)

§. 3. Unde liquet ad ſcientiam quā quærimuſ abſolutam comparan- dam, non ſufficere rerum, quæ ſenſi- buſ apparent, traditionem histori- cam, undecunq; petitatam; Sed inſu- per cauſarum à primis, g) certis & demonstratis principiis h) deductam notitiam requiri, quæ non ſemper à rebus, uti nunc ſunt, abſolutis & per- fectis petenda; Sed prout paulatim ex ſuis principiis oriuntur ſpectan- dis, deducenda eſt. Nam ordo Ici- entiarum docendarum vel discenda- rum, non eſt à natura rei petendus,  
ſed

sed ad captum & ingenium discentium instituendus.

§. 4. Hujus veritatis exempla nobis suppeditant Doctores Philosophi, qui in scientia rerum generali tradenda omnium primo docent Ens, quod deinde dividunt in Substantiam & accidens, Substantiam vicissim in corpoream & incorpoream, Corpus in mixtum & animatum quod animal vocant, & si rationale, hominem in genere spectatum; tandemque hominem in individuo Adamum ponunt. Nemo tamen haetenus eos insimulavit infidelitatis, quasi in historiam Creationis impiegissent, tradidissentque DEum primo creasse Ens, inde Substantiam, mox Corpus, mixtum, animatum, tandemque hominem in genere & in individuo, quamvis doctrinæ causa hæc distincta tradiderint quæ in uno Adamo simul exstiterunt.

§. 5. Sic nemo culpat Mathematicum, quasi creationis historiæ ordinem

C nem

nem turbaret, dum docendo quid sit corpus, primo invenit punctum, ex cuius fluxu producit lineam, & cuius motu transverso superficiem format, superficiem vicissim velelevando vel demergendo, corporis dimensiones tres insinuat, quamvis hæc omnia simul cum corpore creaverit DEus. Plura exempla in hanc sententiam adducta vid. apud Cl. Clauberg. 4)

§. 6. Quare æquum pariter est nobis ignosci, si in tradenda discipulis nostris Scientia rerum naturalium non adhæreamus unicæ historiæ creationis, quamvis firmiter credamus DEum in principio omnia corpora mundana, Jussu & verbo suo efficaci, spacio hexhemero, perfecta plenaq; uti nunc sunt, condidisse; Tamen intimioris Scientiæ naturalis in generandæ causa, non subsistimus in enarratione historiæ creationis; quia res naturales non nunc ut in principio perfectæ creantur, Sed paula-

paulatim & sensim ex principiis suis oriuntur, alterantur, mutantur & corrumpuntur. Ecce ergo non licet easdem tanquam paulatim ex suis causis orientes secundum leges naturae spectare, ut monet Aristoteles.<sup>k)</sup>

§. 7. Quapropter ab ipsis Elementis Mundi eorumque ortu & productione auspicabimur: utpote quae prima sunt corpora a Materia universi fabricata & per motum formata, a quibus deinceps omnia reliqua corpora confiunt; ut docet Aristot.  
l) Unde duplex oritur Elementorum consideratio, Absoluta una, qua Elementa considerantur ut sunt corpora universum integrantia. Respetiva altera, quatenus ex his alia constant.

§. 8. Quoniam Elementa a Materia prima per motum dicuntur formata, quis ergo & qualis fuit ille Motus qui Elementa ex Materia prima produxit? Non potuit fuisse rectus progressivus totius materiae. Quia

Cz

I. Ari-

I. Aristot. *m*) negat extra mundum dari ullum locum in quem materia, secundum se totam reciperet. II. Quia talis motus nullam faceret rerum distinctionem, quarum tamen varietatem maximam esse, Historia Naturalis abunde ostendit.

§. 9. Nec motus circularis totius materiæ continuæ huic divisioni idoneus fuit; qua nec hic aliquam distinctionem partium in materia, quæ verietati rerum conveniret, efficeret. Nec sufficeret Motus divisionis materiæ secundum frusta & partes majores, quales exhibent corpora mundi majora conspicua: Hac enim ratione, nulla fuisset communicatio virium facultatumq; cœlestiū, aut influxus lucis calorisq; de quibus nos sensus docent, Nec in indefinitæ parvitatis particulas divisa fuisse potuit *n*) materia: Sic enim omnia ex uno igne constarent, ut voluit Heraclitus notante Arist. *o*) Nec Materia prima divisa fuit in particulas Sphæricæ

ricæ figuræ: quia hac ratione necessario concederetur vacuum.

§. 10. Relinquitur ergo quod Deus impresserit Materiæ motum divisionis seu contritionis, in partes quidem insensibiles, sed definitæ parvitätis & figuræ angulatæ: Quia legi secundæ convenientius est, divisionem illam factam fuisse secundum lineas rectas potius quam curvas, quem motum veteres Philosophi pariter ac Medici *Turbationem* vocarunt, ut habet Hippocrat. p.)

§. 11. Intelligimus etiam motum illum semel à Deo impressum quoad impetum suum annihilari non potuisse q) propter legem primam, approbante Aristot. r) sed mansisse in qualibet particula mota juxta legem primam. Et cum nulla particula progredi potuit per lineam rectam juxta legem secundam: Undique enim obstabant ad latera particulæ aliae, per quarum dimensiones non dabatur penetratio; Quare juxta legem

tertiam, quælibet particula deflectere in motus circulares coacta est, & tam circa propria centra rotari, quam alios circuitus facere, quibus motus fluiditatis effieri solet. Hinc tota Materia prima in fluidam massam in initio mutata fuit, quam Moses per *Aquas & Abyssum in Historia Creationis eleganter expressit.*

§. 12. Hoc motu in Materia durante, non potuerant non singularum particularum anguli, primum crassiores, mox tenuiores, tandemque minimæ eminentiæ abrumpi & abradi, remanentibus particulis Sphæricis affabré tornatis ac politis. Unde quod ramentorum minutissimum ab his abrasum est, & in indefinitæ parvitatis partes comminutum, summeque agitatum est, hoc ipsum inter spacia triangularia globulorum se contingentium faciit, primumque Elementum constituit, quod Arist. s.) πετρον κοιχήσιον, Anaxagoras t.) ignem vocat.

§. 13.

§. 13. Ipsí vero globuli secundum nobis Elementum præbent, quod Aristoteli antiquissimisq; Philosophis vetusta admodum appellatione Æther seu *āiθrē* dicitur, ut multis in locis docet Aristot. u)

§. 14. Grassiores deniq; anguli ad motum inepti, tertium Elementum constituunt, quod cum materia primi Elementi mixtum, inter globulos Æthereos reservatur tantisper, donec Elementorum haec tenus in una massa confusa consideratorum secretio, & singulorum distinctio, ut fiat, doceatur. x)

§. 15. Habemus itaque tria universa Elementa sufficientia, totidemque summis corporum generibus respondentia, formis suis qualitatibusque distincta: *Primum* nimirum Elementum seu *Ignem*, cuius Essentia in eo consistit, quod sit summe fluidus, h. e. indefinite in minimas partes divisus, celerrimeq; agitatus; Unde ad quasvis figuras recipiendas, omniaque

spacia implenda aptissimus est. *Se-*  
*cundum Elementum Æther,* definitæ par-  
 vitatis, & figuræ rotundæ est, ob e-  
 amq; causam ad motum quoq; a-  
 ptum est. *Tertium vero Elementum ru-*  
 de & angulatum est, unde ad quie-  
 tem potius quam ad motum aptum  
 est.

§. 16. Ex his tria illa corpora mun-  
 dana, lumen *Emissentia*, lumen *Trans-*  
*mittentia* & lumen *Repellentia* sunt con-  
 flata. Quemadmodum etiam Ignis  
 y) noster, Aér, Aqua & Terra, quæ  
 communiter pro Elementis haberi  
 solent, cum tamen nec toti mundo  
 sufficient, z) nec aliorum corporum  
 Elementa prima, sed potius Elemen-  
 tata & ex hisce nostris conflata sint:  
 Idem de Elementis Chymicorum Sa-  
 le, Sulphure & Mercurio statuimus,  
 & in seqq. probatum ibimus a)

### Disputationum Physicarum

#### Octava.

*De Elementorum secrezione, & quomodo*  
*Cælum & Solex iisdem orir. potuerit.*

Supra

**S**UPRA inventa Elementa hactenus ut confusa spectata, ab invicem discerni intelligimus, Non motu gravitatis & levitatis, *a)* tanquam materia coëvis insitisque qualitatibus, ut voluit Democritus. Quia non ubique locum invenit: In cœlo namque ignem levissimum ad centrum syderis ferri, tanquam ad locum naturalem videmus, quod in terris gravitatis; Ideoq; aliam causam secernendis Elementis supponere oportet.

§. 2. Neque turbulentam, incertam & fottuitam concursionem atomum id præstare vero simile est; quia hæc cum mundi ornatu & ordinatissima structura minimè conveniens est.

§. 3. Nec approbare possumus causam Aristotelicam, calorem, qui congregare homogenea & disgregare heterogenea perhibetur. *b)* Quia præterquam quod hæc falso calor tribuuntur, etiam calor effectum potius ēst hujus secretionis, quam causa.

§. 4. Verum enim vero ex eo, quod motus quantitas semel impressa in materia conservatur, & quod omnia corporibus sunt plena, ut ante probavimus, sequitur necessario Elementorum confusam massam motu debere ferri circulari, ut demonstrat Arist. c) quam conversionem lati-  
num omnium primam, simplicem, regularem, perennem & mensuram reliquarum lationum probat idē. d)

§. 5. Quo posito evidens fit ex lege secunda, quod omnia quae motu circulari feruntur, conantur ferri linea recta, adeoq; recedere a centro, sed pro cuiusq; molis suae e) quantitate, in qua fundatur cuiusq; corporis virtus agendi vel patiendi, ut probavimus in Physica Generali. f)

§. 6. Quoniam itaq; Elementum Primum & Secundum mole sua inæqualia sunt; hinc ea inæqualem à centro recessum secundum leges Naturæ fecisse intelligimus, unde eorum segregatio oritur. Nam secundum

dum Elementum mole suâ prædominans longissime à centro propulsum fuisse totumque adeo expanse, quod Cœlum vocamus, constituisse, simulque primum Elementum mole minimâ è spaciis remotioribus à centro exturbasse, & ad centrum sui vorticis g) pepulisse, lex secunda infert. h)

§. 7. Hinc necessariò primum Elementum in centro vorticis nostri circumgyrans, ut notant Kircherus & alii, i) *Solem nostrum* componit qui circumrotando, flamasq; suas protrudendo k) lucem caloremque producit. *Lucem* quidem propriam & directam, quam per lineas rectas, & in omnes partes globulos Ætheos instanti pellendo efficit. *Calorem* vero per agitationem aëris aliorumq; effluviorum sensim inducit. l)

§. 8. Et quoniam Æther similiter recendendo à centro premit in instanti partes à centro remotiores directe; qua propter etiam *Lucem* efficit, si

cit, si modo sensum visus moveat. Quod lumen sacer Codex *m*) lucem, & alii primævam vocant, quæ nihil aliud est extra sensum, quam Ætheris pressio rectilinea, ut confirmat Aristotel. *n*) quem motum vel pressionem dum intendit Sol, *Lux* vocatur, quæ non ante productum solem in mundo fuit, ut testatur Moses, *o*)

§. 9. Quamvis Sol hoc modo à primo Elemento compositus, proximè accedat adflammam vel ignem, non tamen præterea comburit circumstans Cœlum, quemadmodum noster ignis usualis sine pabulo vivere nequit. Quia in cœlo simplici constitutus, non perinde ac noster ignis aëre obruitur, ut nisi habeat idoneum fomitem in quo gliscat ætheremque à se propellat, illico extingvitur. *p*) Avicinis præterea vorticibus, per eorum Ecclipticas ac suos Polos multam materiam primi Elementi accipit, quam vicissim per suam Ecclipticam aliis reddit, atq; sic novam semper.

per materiam accipiendo & dando,  
suam substantiam conservat, ut disle-  
rit Arist. q)

§. 10. Quoniam & nos præter So-  
lem complura alia Corpora propria  
luce fulgentia, Cœlumque adspe&tua-  
bile ornantia cernimus, & inter ea  
maximas Cœlorum intercapedines  
esse Astronomi demonstrant r) simi-  
liumque similes esse rationes, ratio  
contendit: Hinc plures indefinitos-  
que tales vortices esse s) seu Cœlos e-  
xistimamus, quorum singuli in suo  
centro Sydus seu *Stellam fixam*, instar  
nostris Solis, ex primo Elemento con-  
flatam, contineant. Alias enim non  
intelligeremus quomodo Stellæ fixæ  
tamen vividum lumen ad nos sparge-  
rent, nisi propria luce micarent. Un-  
de ex unius Cœli nostri t) contempla-  
tione in plurium cognitionem pro-  
vehimur.

§. 11. Cœli itaque cum plures sint  
u) ut se invicem tangant necesse est,  
ob eamque easam eos ad invicem i-  
ta

ta dispositos esse convenit, ut in motu & occursu mutuo se minimum impedian. Quod fieri posse intelligimus, si Polus unius tangat Ecclipticam alterius vorticis; hâc enim ratione manere distincti possunt, nec absorberi & confundi, ut Stellarum fixarum situs permanens postulat.

§. 12. Terminantur autem Cœli contigi, ubi eorum vires in æquilibrio consistunt. Deleturq; reciproca vis pressionis vel in centro cuiusque vorticis: vel, ubi major lux vel vis obfuscatur & delet minorem.

### Disputationum Physicarum Nona.

*De Maculis Solis, Stellis disphantibus &  
Novis; deg; Cometis eorumq; Effectis &  
Phasibus.*

Ex fundamento in superiori Disputatione Octavo ex Aristot. a) ja-  
eto, de Cœlorum perenni revolutio-  
ne, Solis Syderumque in centris Cœ-  
lorum confluxionem intulimus. In  
quibus centris Sol & Sydera non tan-  
mo;

tum motu vertiginis b) perpetuo moveri, sed etiam novam continuo materiam primi Elementi per suos polos recipere, eandemque vicissim per loca suæ Ecclipticæ proxima in universum vorticis sui spaciū pro Lumine & Calore expellere dixim⁹.

§. 2. Quo in motu, Materia primi Elementi omnis non æque divisa, & per omnia sibi similis & homogenea existit: sed quædam particulæ minus divisæ subtilioribus innatant. Cumque in eosdem motus cum subtilissimis consentire nequeant, ad superficiem Solis Stellarumq; per legem secundam instar spumæ propelluntur, ibiq; maculas componunt sat magnas, multas variasq; quæ motu circumgytationis com Sole circumducuntur perpetuo, donec vel dissolvantur, vel indurentur, atque in unam massam opacam coëant, quæ totum aliquod Sydus & Solem obtegere, adeoque obscurare aliquando valuit, valeatq;.

§. 3. Dum

§.3. Dum Sol vel Stella talibus maculis obscuratur ut dispareat, *Interire* vulgo dicitur. Sivero eadem Stella sic maculis obtecta, novo affluxu Materiæ primi Elementi à vicinis vorticibus roboretur, ut maculas istas discutete & micare denuo possit, *Nova Stella* appellatur, qualis fuit illa in Cassiopœa visa, de qua Tycho Brahe, c) ut & illa in pectore Cygni Anno 1603. conspicua. etc. d)

§.4. Quando Sydus hoc modo maculis obtegitur, vires suas in propellendo Æthere ad peripheriam sui vorticis perdit, e.) adeo ut vicinorum vorticum fortiorum f) pressioni resistere nequeat; quare ab iisdem etiam facile absorberig) potest, cum toto vortice suo. b)

§.5. Sydus hoc modo una cum suo vortice in alium vorticem majorem & multo fortiorem delapsum, si tam parvum sit, ut novi vorticis motui obsequi, & cum eo circumduci cogatur, ejusque vorticis Sydere seu Sole

Sole illuminatur, oritur in eo Cœlo  
vel vortice Stella, *i*) quam à motu er-  
roneo *Planetam* vocant.

§. 6. Si vero Sydus obiectum atque  
absorbtum majus fuerit, quam ut in-  
tra terminos *k*) illius vorticis, à quo  
absorbtum est, cohiberi possit: *h* sed  
fines ejus perrumpat, & in alios Cœ-  
los transeat, motuque incerto *m*)  
modo in hanc, modo in illam Cœ-  
li partem feratur, donec adspe-  
ctum nostrum planè fugiat, *Cometa*  
dicitur, ob comam seu caudam quā  
à se spargere videtur.

§. 7. Coma seu cauda ista nihil aliud  
est, quam lumen à Sole emissum,  
à Cometa reflexum *n*) & in Cœ-  
lo refractum, *o*) unde tot varia-  
tes in coma observantur, ut ali-  
quando sit nulla, aliquando gladii,  
vel instar scoparū, aliquando trabis  
speciem referat, ac denique aliquando  
cauda corpus Cometae præcedat, a-  
liquando sequatur.

§. 8. Coma nulla est, dum Cometa

D

valde

valde remotus parvusque apparet.  
**Roseus** est, cum est in oppositione  
**Solis**, p) tum enim radii refringuntur  
 ad latera, Rosæque speciem exhibent.  
**Trabalis** est, cum non corpus  
**Cometæ**, sed pars caudæ apparet, ut  
 sit in conjunctione Solis, qui corpus  
**Cometæ** abscondit. Ante se fert co-  
 mam, dum ante Solem oritur & oc-  
 cedit. Post se trahit comam, ubi post  
 Solem oritur & occidit.

§. 9. Distantiam Cometarum à  
 Terra definire nequimus: quia cer-  
 tam non habent paralaxin. q) Terræ  
 enim diameter ad distantiam, quæ  
 est inter Cometam & Terram, ha-  
 bet se instar puncti; certum nihilo-  
 minus est, Cometas supra regionem  
 Saturni esse, ibique nostri Cœli fines  
 perrumpere, in alios migrare, inter-  
 que Stellas fixas pererrare, quarum  
 distantia à Terra indefinita est: Quia  
 nec illis vera paralaxis attribui po-  
 test, unde nec vires in hæc inferiora,  
 quales ius Astrologi adscribunt, trans-  
 fundero.

fundere possunt. **Quamvis eorum**  
**ortus r**) & occasus nobis signa præbe-  
ant, quando Sol vel Planeta hunc vel  
illum Zodiaci gradum in Terra re-  
speciant, variosq; semper effectus in  
hæc inferiora producant.

**S. 10.** An vero Cometa aliquod por-  
tendat, vel causa sit calamitatum,  
Belli, Famis, Pestis Mortisq; pie li-  
cet quidem credere, sed nequimus  
Physice demonstrare.

## Disputationum Physicarum

### Decima.

*De Planetis eorumq; Phænomenon causis.*

PLANETAS OMNES CONVENIRE STATUI-  
MUS IN EO, QUOD EODEM MODO ORTI  
SINT, FACTIQ; CORPORA OPACA A) NON UBI-  
QUE LUMINOSA, SED EA TANTUM PARTE  
SPLENDIDA, QUAM SOLI OBVERSAM HA-  
BENT; UNDE LUMEN SUUM QUODCUNQ;  
HABENT, A SOLO ILLIUS VORTICIS MUTU-  
ANTUR IN QUO SUNT, RADIOSQ; VICISSIM  
ACCEPTOS VERSUS NOSTROS OCULOS REFLE-  
CTUNT. DEINDE CORPORA SUNT ROTUN-  
DA, SED MULTIS INÆQUALITATIBUS & TU-

D 2

mori,

**moribus constantia, quemadmodū**  
**Luna & Terra nostra, quæ licet ro-**  
**tunda ad sensum appareant, non ta-**  
**men exactam rotunditatem & æ-**  
**qualitatem attingunt.**

**§. 2. Quod denique quilibet Plane-**  
**ta simplex sua Atmolpæra b) sit invo-**  
**lutus, suasque gyrationes circa pro-**  
**prium axem conficiat, quem motū**  
**in Terra *Nycthemerinum* vocamus,**  
**quemq; Terra ab initio mundi semel**  
**impressum habuit, eundem etiam-**  
**num servare potest, secundum le-**  
**gem primam Physicæ Generalis.**

**§. 3. Dixi Planeta simplex: Nam ra-**  
**tione motus diversi, quosdam Plane-**  
**tas facimus Simplices seu Primarios,**  
**quosdam Compositos & Secundari-**  
**os. *Simplicibus* adnumeramus eos,**  
**qui motum servant simplicem vorti-**  
**cis illi<sup>9</sup> in quem abrepti sunt, ut ifaci-**  
**unt Mercurius ac Venus Soli proxi-**  
**mi, ut & Tellus nostra, Mars, Jupiter**  
**atq; Saturnus.**

**§. 4. Compositos seu Secundarios Plane-**  
**ras**

tas vocamus eos, qui pluribus motibus simul deferuntur, suo videlicet proprio, & vorticis illius in quem delapsi sunt: v. g. Luna nostra, quæ cum primo in Telluris vorticem delapsa intelligitur, antequam in Solis magnum vorticem una cum Terra absorbta sit. Hinc terræ motum Nycthemerinum sequi cogitur, ideoq; duodecies circum Terram ducitur, cum Telluris vortex una cum Luna semel duntaxat circa Solem à materia cœlesti defertur, quem motum in terra Annum vocamus; quia anni vicissitudines efficit.

§. 5. His adstituimus Lunulas in Venere observatas & satellites quatuor Jovis Circum-Joviales dictos, qui à Jovis vortice absorbti intelliguntur, antequam Jupiter ipse in Solis vorticem delapsus est, unde Jovis quoque motum circumgyrationis sequuntur; & prout quisq; Jovi vicinius vel remotior est ita citius vel tardius revolutionem suam circum

D<sub>3</sub>

Jovem

Jovem perficit, c) simul ac cum Jupiter per magnum orbem circum Solum à Materia Cœlesti deportatur.

§. 6. Cæteri Planetæ simplicem duntaxat motum nostri Cœli, ut dictum, seqvuntur, aliique citius, alii tardius orbem suum absolvunt, prout Soli, vorticis sui centro viciniores, remotioresve fuerint. Cœlum namque Soli propinquum majori vi & celeritate circumagit, centroq; proximior circulus minor, viaque Planetæ emetienda brevior: Remotior vero circulus major, motus in Cœlo lentior, viaq; amplior existit. Quapropter 3 tribus mensibus 3 octo, Tellus cum Luna anno integro, 2 biennio, 2 duodecim, 5 30, circiter annis, à cœlesti materia circum centrum suum Solem deferuntur.

§. 7. Hinc distantias colligimus Planetarum à Sole, quarum causa in cuiusque Planetæ magnitudine d) & soliditate fundatur. Quanto enim maior & solidior Planeta, tanto majorem

rem vim habet recedendi à centro Sole. Hinc omnium minimus & Soli proximus est ♀ rius, huic proximus ♀; inde Tellus cum Luna ampla satis & ὅτε quoad peripheriam major, ast rarer & levior. ὅτε vero quia Tellure solidior, quamvis minor, longius à Sole recedit. Post hunc Ζ magnitudine & soliditate major est, ob eamque causam remotior. Tandemque ḥnus omnium maximus & remotissimis à Sole existit.

§. 8. Horum Planetarum motus licet simplices sint, tamen non nihil aberrare videntur, & vel I. in plano in quo moventur, modo ascendere, modo descendere secundum latitudinem Zodiaci videntur, unde hæc *Aberratio in latitudinem* dicitur. II. Aliquando propiores Soli observantur dicunturq; *Perihelii*, aliquando remotiores, dicunturq; *Aphelii*, & abertatio ipsa in *Longitudinem* appellatur. Aliquando etiam *Citius*, aliquando *tardius moveri*

nobis apparent; Aliquando *stare*, unde *Stationarii*; aliquando *retrocedere*, unde *Retrogradi* in *Ephimeridibus* *vocantur*.

**§. 9.** Harum omnium aberrationum causæ referri possunt, vel I. ad Eccentricitatem Solis in suo vortice, qui non est exacte rotundus, sed figuræ Ellipticæ, unde cœlestis materia in spaciis latis lentius decurrit, Planetamque lentius defert: In angustiis vero citius, quia angustiam spaciū motus celestis compensat. Vel II. ad materiam primi Elementi, quæ diversimode à vicinis vorticibus, majori vel minori impetu d) in Planetam in libro Cœlo libratum impingens, eumque modo in hanc, modo in illam partem inclinatem facit.

**§. 10.** *Retrogredi* Planeta videtur, cum à Terra nostra e) Planetam f) in perigæo g) existentem spectamus in loco vero, qui designatur per retam, ductam à centro Planetarij circul,

circuli, *b*) per centrum Terræ *e*) & Planetæ *f*) ad Stellam aliquam fixam, *i*) is locus verus Planetæ est. Si vero Terra *e*) paulo citius progradatur versus orientem *k*) quam Planeta in circulo majori, *f*) tum Planeta videtur *postponi*; quia linea visiva mutatur, ut si recta linea ducatur à Terra *e*) per centrum Planetæ, *f*) incidit linea visiva in punctum alicujus fixæ Stellæ *i*) ad occasum *l*) magis vergentis, unde Planeta retrocedere videtur. Postquam vero Terra præterivit punctum *m*) progressaque sit versus *k*) & tum ducatur linea recta à Terra *e*) per centrum Planetæ, *f*) tum iterum *Directus* Planeta apparet.

§. II. Quoniam nullus Cometa vel Planeta proprio lumine lucet, sed lumen à Sole, uti supra dictum est, mutatur; Hinc si corpus aliquod opacum inter Solem & Planetam interponatur, lumen in Planeta collitur, quæ obscuratio *Eclipsis m*) dicitur; ut

cum inter Terram & Solem interponitur Luna, fit obscuratio in Terra quæ *Ecclipsis Solis* n) vulgo audit. Si vero Terra inter Solem & Lunam interjiciatur, fit *Ecclipsis Luna*. Idem in cæteris Planetis remotioribus contingit, quamvis eorum Ecclipses tam frequentes & observabiles non sint. o)

§. 12. Sol omnes omnium Planetaryrum partes quidem illuminat, at non simul & semel, sed successive. Quæcunque itaq; pars illuminari incipit, in ea *Soloriri*, *Mane fieri* atq; *Diem esse* dicimus, quantoq; in ea parte diutius moratur lumen, tanto longior dies est. Quæcunque vero pars illuminari desinit, in ea *Sol occidere*, *vespera cum nocte ingruere* dicitur, quantoque diutius obscurata est, tantò longiores in ea noctes sunt.

§. 13. Quæ pars Planetæ Solis radios excipit directiores, in ea *Aëtas*; in quam vero obliquiores incidunt, in ea *Hyems* est. Cujus obliquitatis causa,

sa, quod Axis terræ, circum quem Terra diei spacio circum volvitur, non est parallelus Ecclipticæ, in quo Anni spacio circumrotatur. Uterque motus à Cælo Terram deportante pendet, in quo Cælo moto Terra quiescere recte dicitur. Nam si Terra non quiesceret, in illo Cælo moto, tum se ab illo Cælo separaret, adeoque flumini seu motui Cœli, motu proprio contraniteretur necesse esset, quo ipso revera magis moveretur Terra, quā nostra hypothesis infert.

§. 14. Et quoniam compositi seu secundarii Planetæ, qui præterquam quod à communi Solis vortice deferruntur, etiam simul à suo peculiari Cælo, in quod primum sunt delapsi, motu peculiari moventur ut supra posuimus; Hinc respectu ad nos Luna & Planetæ cæteri variè illuminari videntur. Ut, v. g. cum Sol occiduus Lunam illuminat, tum faciem quideam totam sibi obversam illu-

D6 strat.

stuat, sed nobis tantum falcata apparet *Novaq; Luna* vocatur. Cum vero medio hæmisphærio nobis obverso illuminatur, in *Quædratura* esse dicitur.

§. 15. Dum Sol in oppositione est, totumq; Lunæ hæmisphærium nos respiciens irradiatur, *Plenilunium* appellatur. Dum Sol pedetentim ad faciem ortivam illuminandam promovet, tum sensim quoque Lumen Lunæ eadem facie nobis obversâ verlus occidenteū decrescere incipit; Unde *Luna Decrescens* vocatur. Dum Sol est in coniunctione Lunæ, tota facies Soli obversa illustratur, aversa vero quæ nos respicit obscura est, unde nobis *Interlunium* dicitur, quo tempore vulgus Lunam obscurissimam esse existimat, cum tamen maxime sit illuminata: Lumine scicet Solis directo, à parte soli obversa, lumine vero à nostra Terra ad Lunam reflexo, in parte nobis obversa. Unde Luna quandoque colorata appetat,

paret, quod falso Lunæ proprio lumi-  
ni adscribunt non nulli.

§. 16. Hinc causa reddi potest, cur  
Luna semper eandem faciem nobis  
obvertat? Quia eâ continua irradia-  
tione, sive directa sive reflexa facies  
nobis obversa rarior, ob eamq; cau-  
sam levior redditur. Facies vero  
nobisaversa densior & gravior, obe-  
amque causam â suo centro majo-  
rem vim recedendi habens, semper  
à Terra avertitur. Idem de cæteris  
Planetis Secundariis judicium esto.

### Disputationum Physicarum

#### Undecima.

*De Cœli quibusdam Effectibus seu Qualita-  
tibus quæ communiter Elementis tribui-  
solent, Pelluciditate scilicet, Gravitate,  
Levitate, Calore atq; Frigore.*

Cœlo & iis quæ in eo sunt expensis,  
ad Terræ theoriam nos conver-  
tere ratio ordinis svadet: Quæ tan-  
to nobis promittit & Historiam ju-  
cundiorem & Scientiam certiorem,  
quanto nobis proximior rerumque  
varietate locupletior existit. §. 2.

§. 2. Terram supra inter Planetas retulimus, utpote quam origine, natura cæterisq; attributis cum iis convenire diximus; Quod ut planius evadat, Cœli in quo Terra natat, & à quo conflata est Effectus atque vires in hæc inferiora primo spectabimus, Unde ipsam Terræ genesin venabimur; qua accuratius perspecta, et jam Terræ natura & Essentia melius cognoscetur. ut promittit Aristot. a)

§. 3. I. Ex eo quod Cœlum sit materia per se b) fluida, quæ partes suas quàquà versum secundum lineas rectas, vel ad rectas quam proxime accedentes, continuat, producitur in corporibus liquidis, quæ æthereis hisce motibus parent, *Pelluciditas*, quæ in poris directis materia cœlesti repletis consistit, ut docet Arist. c) Quam pelluciditatem servant corpora dum indurantur, ut Glacies, Crystallum, Vitrum & Adamas.

§. 4. II. Ex hujus materiæ Cœlestis motu humotes impuri secessione d) partium

partium heterogenearum purificantur & clarescunt, ut cerevisia recens & mustum, quod Calori attribuit Arist. e) qui tamen saepius humor turbat quam clarificat aut homogeneos reddit. Homogeneum autem vocamus, non quod simplex est, sed quod partes ita dispositas habet, ut omnium partium tantundem sit ubique per totam massam distributum, sive sit generis lucidi, sive pellucidi, sive opaci.

§. 5. III. Et quoniam Cœlum omni ex parte nos ambit, motuq; suo fluiditatis in omnes partes Terræ, æthere crassiores, impingit, atq; secundum lineas rectas æqualiter premit, hinc guttas aquæ, & quæcunque alia corpora quæ in libero æthere agitantur, ut Terram & Planetas rotundos efficit, Unde non tantum Terra, sed universus Terraqueus globus Rotundus adeoque Oceanus gibbosus existit. Quod nisi esset, totus terraqueus globus in partes diurno motu dissoliret

f)

**f**per legem secundam. Sed quoniam motus hic Cœli particularis, priorem illum conatum recedendi à centro superat; *g) Hinc Terra omni-aque quæ Terra continentur, ad centrum sui vorticis premuntur, & in rotunditate Terrauei globi per-manent.*

**§. 6. IV.** Hinc pendent *Gravitas & Levitas*, quas materiæ insitas qualitaes communitur statuunt, cum tam en, ab externa Cœli ambientis æ quali ad centrum pressione depe-n-deant. Unde lapis à summo descen-dens, quolibet descensus momento, nova celeritatis incrementa in de-scendendo capit, *h) quamvis lapidi nihil materiæ inter descendendum adhæreat quod gravitatem addat.*

**§. 7.** Quoniam etiam omnia cor-poribus sunt plena, nihilque descen-dere potest, quin eodem momento tantundem in locum descendantis a-scendat, quod *Leve* vocamus; Ea-dem namque materia cœlestis quæ

in

in partes terrestres crassiores & ad descendendum aptas *i*) impingens, actu facit eas descendere, eadem vicissim à Terra reflexa, particulas leviores & ad ascendendum paratas, actu facit ascendere. Utriusque ergo motus principium est materia Cœlestis, quæ præcise ascendit in locum ejus quæ descendit, levesque particulæ secum movet: Notio ergo Gravitatis & Levitatis est respectiva, respiciunt enim Gravia & Levia se invicem. *k*)

§. 8. Hisce bene perpensis reddi rationes possunt I. cur corpora in suis locis naturalibus *h*) nec gravitent nec levitent? II. Quomodo succus nutritius ad summa cacumina procerissimarum arborum propellatur *m*) ibiç in frondes & folia erumpat? III. Cur anthlia aquas ultra 36. pedes in altum pellere nequeamus? *n*) IV. Et cur glacies certis temporibus aquæ supernatet, certisque demergatur? *o*) Et varia præterea circa pond.

E

detum

derum rationes Problemata solvi possunt.

§. 6. Ex eo V. quod Cœlum & Sol lucem & lumen in hæc inferiora spargant, oritur agitatio p) quædam varia in particulis tertii Elementi & effluviis, quæ absente Sole aliquantis per permanere potest, q) quæ si tanta est ut etiam sensum afficiat, *Calor* vocatur. Qui in se & absolute consideratus, sine respectu ad actionem vel passionem in sensu, r) nihil aliud est, quam *Motus minimarum particularum tertii Elementi varius*, qui materiale Caloris est. s)

§. 10. Quando vero tam magnus est, ut in sensus agat, resultat ab illo motu idæa quædam in sensu, quam *Calorem* vocamus, quæ tamen talis qualis in sensu percipitur, extra sensum non existit. Unde hæc idæa Caloris semper respectiva est, & à sensu quo dicitur, non ab ipso Caloris subiecto in quo motus est æstimanda. v. g. Unus idemque Aquæ calor, respe-

respectu manus sinistræ calidæ *Frigus*  
vocatur; respectu vero dexteræ fri-  
gidæ *Calor* censetur, quomodo *Calor*  
& *Frigus* ratione lensus sunt contra-  
ria, quamvis in ipso *Caloris* subiecto  
nulla sit contrarietas, t)

§. II. Quare dividimus Calorem I.  
in *Absolutum & Respectivum*. II. in *Actua-  
lem*, qui actu jam talis est, sive per se,  
sive per accidens; Et *Potentialem*, qui  
dispositionem duntaxat habet ad fa-  
cile in actum *Caloris* erumpendum;  
talis est in teda ad ignem concipien-  
dum, in vino & omni medicamento  
calido dicto ad calefaciendum u) III.  
In Calorem *Per se* x) & *Per accidens* y)  
Ille dicitur per se, qui absolutè, actu  
& formaliter in se variam minima-  
rum agitationem habet, qualis est in  
Materia primi Elementi & Igne. Hic  
vero talis dicitur in omnibus qui ca-  
lent per participationem Ignis, ut A-  
qua & sanguis, omnisque præterea  
tertii Elementi materia actu calida,  
ut docet Aristoi. z)

Ea

§. 12.

§. 12. Respectu vegetationis in plantis, & vitæ in animalibus calor etiam dividitur Philosophis in ΣυνΦυτον, *In situ* quem etiam formalem vocant: quia nunquam proprium suum subiectum deserit, sed essentiam ejus constituit, talis est Calor in primo Elemento & Igne. Et ΣυνΦυτον, *Connatum*, qui etiam materialis est, & in alio subiecto naſcitur, quod tamen in morte deserit, ut Calor fermentatus in corde & sanguine animalis, a quo non nisi respectu differt *Influens*, qui per alimenta fermentata & mixta in Plantam, vel Animalium corda & membra influit.

§. 13. Calori contraria qualitas prohibetur a) *Frigus*, unde ei contraria competit definitio, scilicet, quod sit *Minimarum Terti Elementi particularum Quies*, seu permanentia in eodem situ. b) Sub qua quiete comprehendimus *Minorem Motum*, qui rationem quietis habet. Non enim omnimoda *Quies*, nec absolutum

tum Frigus, in natura datur, quamvis Calor absolute sic consideratus talis detur. Unde Frigoris notio semper est respectiva ad majorem motum seu Calorem; ita ut quod majoris Caloris respectu Frigus dicatur, id minoris in Calore gradus ad sensum aestimato Calor nonnunquam appellatur, ceu vidimus th. 10. Plures differentias Frigori tribuit Aristot. lib. II. de part. animal. cap. 2. in fine.

§. 14. Per has virtutes Cœli, tanquam per instrumenta, totum Terraqueum globum coagmentatum conflatumq; esse, plus quam probabili ratione asserimus, cum Terraqueus globus constet Tertiī Elementi particulis, quarum nulla per se activa, sed otiosa existit; nec in se, tanquam à se ulla insitas vires se construendi habet. Proinde quæcunq; in structura Terraquei globi observamus, illa aliunde pendere neceſſe est, ut docet Arist. c) Neque vero in

natura alia causa datur, quæ motu  
prædita, tanquam propria forma e-  
xistit præterquam Cœlum, cui vim  
operandi universalem post DEum  
tribuere possumus. Particulares ve-  
ro determinationes motuum à cau-  
sis particularibus pendent.

## Disputationum Physicarum Duodecima,

*De Terræ Ortu & Incremento ex Hypothesi  
nostra secundum Leges Naturæ possibili,  
de j̄ Elementorum vulgarium Secretione.*

**T**erra non est simplex Elementum,  
nec per omnia sibi æqualis & ho-  
mogenea; sed ratione partium valde  
dissimilis, quarum singula genera ut  
melius considerari possint, a) Ter-  
ram in duplii statu spectabimus, U-  
no, prout non dum intra Solis vorti-  
cem delapsa est, sed mox illapsura, b)  
Altero vero, proutjam illapsa est. c)

§. 2. Ratione prioris status Terram  
in tres regiones dispescimus, qua-  
rum prima est Centralis, quæ tota est  
ignea, quam propterea ignem sub-  
ter-

terraneum Physici vocant. De quo  
nemo dubitare potest, qui Terræ  
cryptas, cellas, lacuum mariumq;  
fundos, fontium denique scatebras  
calere, rigente licet gelu terræ super-  
ficie animadverrit. Et cum P. Atha-  
nasio Kirchero, qui montes Vulca-  
nios & thermas ex eo igne deducit. d)  
Cujus regionis non aliud principi-  
um, quam Solis & Stellæ alicujus fi-  
xæ fuit, supraque posita hypothesis  
intulit. e) Quæ postquam maculis ob-  
tecta densaque crusta obducta, non  
amplius Syderis formam retinuit,  
sed opaca obscuraque mansit, nec  
tam valide vicinorum vorticum  
vim repellere valuit, ut supra osten-  
sum est. f)

§. 3. Secundam Regionem crusta  
illa, quæ centralem ignem obtege-  
bat, constituit, quæ quoniam à sola  
materia primi Elementi striata g)  
conflata est, hinc minimis etiam po-  
ris prædita est, qui nullam nisi Cœle-  
stem materiam admittunt, quæ pri-

mi Elementi materia per polos istius crustæ intrat, exitque per Ecclipticam. Harum quædam striatæ dictæ; quippe crassiores, majoremque vim ad pergendum secundum lineas retas habentes, non passæ sunt se ad Ecclipticam flecti; Sed ingressæ per unum polum, egressæ vero per alterum, meatus in ea crusta axi parallelos effecerunt. Unde crusta hæc non tantum valde dura, densa opacaque facta est, sed & magneticis virtutibus prædita, quæ postmodum toti Telluris globo solido communicatur. b)

§. 4. Quod reliquum est totius Telluris vorticis, illud ad Tertiam regionem pertinet, quæ præter Cœlestem materiam, crassis densisque effluviis, à tertii Elementi particulis variis à dissolutione macularum i) ortis constabat, regionesque priores duas Atmosphæræ k) instar ambiebat. In hac utpote extima, maximam mutationem in initio factam fuisse ex nostra hypothesi intelligimus, post-

postquam in nostrum hunc Cœlum,  
in cuius centro Sole est, dilapsa est, in  
quo statu eam deinceps considera-  
bimus.

§. 5. Nam locus ille novus, Cœlum  
nimirum nostrum / majoribus glo-  
bulis, utpote à Sole remotioribus,  
quam Terræ vortex, centro suo pro-  
ximior constabat <sup>m</sup>) propterea ma-  
jorem vim habuit globulos æthereos  
Terreni vorticis cum intermixtis  
Tertii Elementi particulis, à peri-  
pheria ad centrum Terræ, vi gravi-  
tatis detrudendi, <sup>n</sup>) quam habuit Æ-  
ther vorticis terreni ad recedendum  
à centro ad peripheriam. <sup>o</sup>)

§. 6. Et varietas particularum ter-  
tii Elementi, ratione magnitudinis  
& figuræ, quibus constabat Regio  
hæc tertia, novi hospitis terreni vor-  
ticis, immutata in alieno Cœlo <sup>p</sup>)  
persistere nullatenus potuit. Nam  
quæ particulæ rudes, magnæ, irre-  
gulares, majoresque erant, primo vi  
gravitatis Cœlestisve materiæ pref-

sione, deorsum ad centrum detrusæ,  
supra secundam Terræ regionem,  
novamque crustam, duram crassam-  
que à cætera parte tertiae hujus re-  
gionis, quæ particulis constabat mi-  
noribus, & in multa brachia divisis  
q) ramorumque instar hinc inde di-  
spersis, distinctissimam effecerunt,  
adeoque illæ r) rudimentum regio-  
nis metallicæ s) uti hæ t) Aëreæ q) re-  
gionis initium præbuerunt.

§. 7. Intelligimus etiā inter rudes  
& maiores istas particulas alias sed  
minores, longas & vel flexiles vel ri-  
gidas v) esse interjectas, quæ diutina  
actione materiæ Cœlestis; à reli-  
quis crassioribus x) separatae, medi-  
um locum inter Aëris regionem &  
Terram hanc metallicam occupa-  
runt, adeoque *Aqua* Elementum  
constituerunt ex quib⁹ quæ læves &  
flexiles erant, *Aqua dulcis* essentiam:  
Quæ vero rigidæ erant, *Salis in Aqua*  
*natantis* naturam constituunt.

§. 8. Hinc evidens evadit quomo-  
de hæc

do hæc corpora communiter Elementa dicta, suis intelligibilibus formis & veris qualitatibus non modo; sed & locis propriis distingvantur & ex nostra hypothesi à priori orta demonstrantur: Nam crassa, rudia, angulata, & ad motum inepta, gravissimum *Elementum & Metallicum* y) constituunt, inferioremque locum occupant. Quæ vero ramosa, flexibilia & teorsim volitantia sunt, *Aërem* componunt, superioremque locum sibi vendicant. Lævia deniq; tertia & oblonga corpora, quæ quidem se in quibusdam punctis & superficieculis tangunt, non tamen ita inter se cohærent, quin motu quodam rependo à materia Cœlesti spaciola eorum interfluente agitari possint, *Aquam*, quæ inter Terram & Aërem natat, componunt.

§. 9. Quoniam Elementa supra inventa, nunquam tam pura sunt, in locis suis licet existant, z) quin semper heterogenei aliquid admittant:

E 6

Cœlum

Cœlum autem omnes Elementorum poros pervadens, separat homogenea ab heterogeneis; Hinc ab Aëris particulis cohærentibus & quiescentibus, ut & Aqueis & Terrestribus effluviis, in superficie Aquæ crustas quasdam in initio congregatas fuisse, quemadmodum hodie in Mari & Stagnis observamus Insulas natantes, ex quibus multis & cohærentibus, quartum aliquod corpus Terram nostram, quam incolimus, & Sacræ Literæ Aridam vocant, in initio coalescere potuisse intelligimus. In qua crusta, quomodo Maria, campi, planities, montes & valles, & in his cryptæ, fontes & abyssi, possibili modo secundum leges naturæ producta sint, in seqq. ordine deducere conabimur.

### Disputationum Physicarum

#### Decima Tertia,

*De Terraquei Globi in partibus suis Inequalitate, Terræ Motu, Mari, Campis, Planitie, Montibus, Vallibus, Cryptis; nec non*

*non de Fontibus, Fluminibus, Abyssō, eo-  
rumq; Cataclysmis, etc.*

**L**Icet suprema Terræ crusta, quam incolimus, juxta hypothesin nostram in initio necessario rotunda fieri debuit: Nihilominus intelligimus etiam, cur postea, ut nunc est, montibus vallibusque inæqualis reddita sit.

§. 2. Nam Aquæ, huic crustæ undique subjacentes a) agitatione Caloris, tam subterranei continuâ, quam solaris periodicâ per crustæ hujus poros evaporare, spaciunque relinquere, aëre plenum, potuerunt, qui Aér per rimas Terræ exitum quærens & inveniens subito erumpere potuit; In cuius locum, Terræ hujus crusta, vi gravitatis b) necessario ruere debuit: Quia Terrea hæc crusta & variis majoribusq; à Calore rimis perforata, & basi firmiori privatâ c) fornicis instar cohærere, vel stabili fundamento instar columnæ nitid) nequivit. Unde per spacia illa

*la aëre duntaxat plena, e) & in ipsum  
Abyssum Aquarum f) ruere & immersi  
debuit, adeo ut cuius pars Terræ a-  
quis immersa esset, in ea *Cataclysmus,*  
g) quæ vero supra aqua emineret, ea  
*Arida Terra. h)**

§. 3. Quemadmodum eriamnum  
tales sæpe ruinas, Terrarumq; *Mo-  
tus* ex eadem causa ortos cernimus:  
Unde facile intelligimus in initio ac-  
cidere potuisse, ut quædam Terræ  
partes longo Terrarum tractu infra  
aquas abyssi profunde demersæ fue-  
rint, *Inundationes* q; ac *Maria* constitue-  
rint; Quædam etiam supra aquas e-  
merserint, & quidem vel æqualiter,  
ideoq; *Campos* & *Planicies* effecerint;  
Quædam sursum in acumen surrexe-  
rint, & propterea *Montes*; Quædam  
depressæ & in latus inclinatæ fuerint,  
& *Valles* efformaverint.

§. 4. Sub hujus crustæ partibus, va-  
rie in se invicem prolapsis vel recli-  
natis concipere possumus, quemad-  
modum etiam revera invenimus

*Cry-*

*Cryptas, Fornices, Abyssos & Aquarium receptacula, quæ à P. Kirchero Hydrophylacia dicuntur i)*

§. 5. Ex quibus aquis Calor subterraneus solarisque plurima effluvia evocat sursum per Terræ poros pellit ad camporum superficiem, montium juga, & ipsas nubes, quæ dum ad superficiem Terræ perveniunt, frigore aëris nocturni vel hyberni condensantur, & in guttas convertuntur, quarum plurimæ coëuntes in unum, vias novas sibi parant, ac per Terrarum declivia defluentes, *Fontes, Rivos tantemque Flumina & Lacus* efficiunt.

§. 6. Unde intelligimus I. dictum illud Ecclesiastis c. 1. v. 7. *Cur omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur, quocunq; enim loci flumina properant, eodem revertuntur propere.*

§. 7. II. *Cur Mare aquam salam semper retineat, quamvis Fontes & flumina aquam semper dulcem appetant? Quia Sal marinus evapora-*

\* 180 \*

ratione non sublimatur, nec propter partium suarum rigiditatem, per angustos flexuosusque Terræ meatus sursum aquarum effluvia comitari potest; sed ab aquæ dulcis particulis separatur, ut docet Arist. k)

§. 8. III. Sed ubi patentes sunt viæ & pori à Mari ad Montis alicujus radices & puteum aliquem, cuius fundus superficie maris depresso est, adea loca aqua marina falsa confluere potest, ideoque in iis Sal congeritur, qui propterea ratione loci ubi reperitur, fossilis, putealis, vel mari-nus dicitur.

§. 9. IV. Cur in quibusdam locis Flumina dantur auro & metallis ac mineralibus imprægnata, unde fontes medicamentosi *Acidulæ* dictæ & *Thermæ* oriuntur? Quia venæ & rivi Aquarum, decurrunt per loca vel metallis & mineralibus imprægnata, vel igne subterraneo in Bitumine & Sulphure accensa; Unde de eorum natura & qualitatibus participant, ceu

ceu probat & depingit P. Kircherus,  
l)

§. 10. Idem judicium esto de prodigiosa quarundam Aquarium proprietate, lethiferâ & deleteriâ vi pollentium, ut specus Canum in agro Puteolano, cuius antidotum est lacus vicinus Agnanus. Quædam etiam Aquæ inebriant & ē mentis statu turbant, ut notat idem. m)

§. 11. V. Cur Aquarium heymem maximus sit proventus; Fontesq; & Flumina tum scaturiant maxima, quæ quandoque siccantur æstate? Quia tum contensatio frigore est maxima, æstate vdro minima.

### Disputationum Physicarum

#### Decima Quarta,

*De Effluviis variis, Vento & Aëstu Maris.*

Effuvia quæcunque & undecunq; excitata, quam diu calore suffici- enti agitantur instar aëris, Diaphana & invisibilia sunt; quam primum vero Frigore condensantur, opaca reduntur, visum terminant, vaporisq;

E formam

formam induunt; Quia eorum partes densiores & crassiores redditæ, amplius lumini non cedunt, sed idem suffocant, vel reverberant. Hinc halitus animalium hyeme potius, quam æstate, & in loco frigido, quam in calido sunt conspectiores.

§. 2. Effluvia aquæ *Vapores* humidiiores & crassiores generant, qui si in unam partem ferantur, *Ventos* constituunt, qui in Mari ut plurimum sunt vehementiores, quia crassiores, Si è Terra vel siccis rebus excitentur, sicciores etiam sunt, & *Exhalationes* dicuntur. Unde pro varietate vaporum, unde venti generantur, variis etiam ventorum Effectus oriuntur; Aërem namque vel Calore, vel Frigore, humiditate vel siccitate temperant; vel denique venenatis halibus implent ac corrumpunt, quos venti præsertim Septentrionales abigunt, Unde *scopæ Terræ* audiunt.

§. 3. Vapor vespertino vel noctis frigore condensatus & descendens

*Ros*

*Ros* dicitur. Succus ille vapidus & rorulentus in floribus herbarum condensatus, *Rorem melleum* constituit, qui ab apibus exceptus, & in alveariis separatus & elaboratus *Mel* dicitur. Cujus species quædam crassior est *Ladanum*, quod villis barbisque capraru[m] in Cypro è pascuis matutinis adhærere solet.

§. 4. Nec ab eo multum differt *Manna*, nisi concretione, quæ si in granula minora coiverit, quemadmodum æstate calida & sicca apud nos quandoque observatur, *Granulata* dicitur; si in majora *Mastichina manna* vocatur. Estque nihil aliud quam succus dulcis, pinguis ac densus ex rore & exhalatione in infima aëris regione percoctus, & nocturno frigore concretus. Abundat sale volatili, unde purgatrice vi prædita est.

a)

§. 5. Similis fere naturæ succus ille dulcis & pinguis, quem Indi & in Insulis Sancti Thomæ & Canariis ex a-

F 2

rundi-

rundinibus & canis exprimunt. Ex eoque *Saccharum* concoqvunt.

§. 6. Evaporibus etiam viscosis oriuntur *fila D. Virginis* appellata, quæ vere maxime & autumno per agros totamque Terram instar telarum aranearum volant.

§. 7. Vapor si forma roris descendat & matutinis frigoribus congeletur, *Pruina* dicitur; Si in Terram decidat sine congelatione *Nebula*; Si sursum ascendet, maneatque suspensus in Aëre, *Nubes* appellatur; Si nubes in guttas coëant & in Terram decidant, *Pluvia*; quæ si densa, majoribusque guttis cum tempestate ingruat, *Imber* dicitur.

§. 8. Si vehementiore frigore nubes constringantur antequam in guttas abiverint, *Nivem* variis, mirisque figuris, pro aëris ambientis constitutione, producunt. Si postquam in guttas coiverint, constringantur, *Grandinem* efformant. Aqua congelata *Glaciem* constituit, concrescit autem

tem Aqua dulcis citius quam salsa, &  
stagnans quam fluvialis: quia mino-  
rem vim ad movendum obtinent.  
Hinc congelata odorem, quem li-  
quida spargebant, non referunt; Ces-  
santibus scilicet effluviis, quæ odo-  
rum materia fuerant.

§. 9. Æstus Maris in eo potissimum  
consistit, Quod I. singulis sex horis  
cum 12. circiter minutis, versus littor-  
a fluat Mare , totidemque horis  
refluat. II. Quod cum Luna perve-  
nit ad loci meridianum, tum Aqua in  
alto Mari est omnium minima, sed  
circalitora altissima, quod non intel-  
lexit Varenius: Quare gratis Carte-  
sium erroris insimulat in Geograph.  
suæ b) III. Quod tempore Novilunii  
& Plenilunii sit Æstus multo impe-  
tuosior quam in Quadraturis. IV.  
Quod Flumina, Sinus, ut mare Medi-  
terraneum, aut Balthicum, Lacus &  
Freta nullum talem fluxum patian-  
tur, nisi in ostiis fluminum fretorum-  
que ubi Oceano committuntur.

§. io. Horum phenomenōn causa non una est & eadem, sed plures & diversæ, quarum tamen proxima est *Luna*, quā præsente Æstus sit, & absente non sit. *Principalis* est *Sol*, non quod Calore suo, rarefaciendoque Aquas æustum causet, sed quod suo circuitu Cœlum & in eo Lunam & Terram circumferat. *Causa Materialis* seu *Subiectum* est *Aqua Occani*, quæ pressionem illam suscipit. *Instrumentalis* vero est *Aér*, & in eo materia Cœlestis cum Atmosphæra, quæ licet fluida sint, nihilominus tamen ob suæ Substantiæ impenetrabilitatem, premunt magis in spacio angusto, quam in ampio. *Dispositiva & Occasionalis* est Telluris figura quodammodo Ovalis, & Elliptica Orbis Lunaris.

§. ii. Nam cum Terra quotidie semel circum volvatur, Lunaque semel in mense eam vicissim ambiat; Quare necessum est, ut Terra quolibet die Lunam in aliquo puncto sui vorti-

vorticis habeat. Ad cujuscunque vero loci Meridianum Luna pervernerit, per suam præsentiam reddit spaciū inter se & Terram angustius, unde Aër cum Atmosphæra celerius moventur, Subiectamque aquam Occani premunt, ut Occanus de sua gibbositate nonnihil sub Luna remittat & deprimatur, aquasque ad littora propellat, quod *Affluxum* vocamus, seu *Æstum*. Arist. c) πλημμυρίδα appellat.

§. 12. Quoniam Terra libere natans in Cœlo eodem modo premitur à prætentia Lunæ, quare & ipsa nonnihil de puncto suo centrali protrudit, locumque Lunæ oppositum angustiorem reddit, unde Atmosphæra partem Occani Lunæ è diametro oppositam premit, aquasque à medio mari ad littora protrudit, æstumque in opposita parte facit,

§. 13. Quando vero Luna sensim recedit ab illius loci Meridiano ad aliud, quod per 6. horas & 12. circiter

F 4

minuta

minuta fit, tum sensim quoque in utraque parte suæ gibbositati restituuntur Occanus; Unde aqua vicissim à littoribus ad mare recurrit, quod *Refluxum* vocamus: Aristot. d) *ἀποτις* dicitur.

§. 14. Intenditur vero hic æstus in Noviluniis & Pleniluniis: quia ea circuli pars, in qua Luna tum versatur, depresso est, ita ut in illis circuli punctis Luna sit perigæa: Unde majorem pressionem efficit: In Quadraturis vero circulus magis expanditur, locumque nonnihil ampliorum reddit, unde etiam subjacentem Occani aquam remissius premit, æstumque minorem facit.

§. 15. Contingit hæc æstus vicissitudo qualibet die 48. minutorum serius; Quia dum Terra motum suum nycthemerinum peragit ab Occasu ad Orsum, simul etiam Luna circum suum circum Terram semel in mense duntaxat facit, quo ipso qualibet die 48. minutorum moræ addit,

dit, quæ de sequente die detrahenda.

§. 16. Nullus denique æstus est in lacubus mari Balthico & Mediterra-neo, Fretis & Fluminibus: Quia eorum superficies non sunt tam latæ, ut ad Lunæ præsentiam deprimi possint: Interim in ostiis Fluminum & Fretorum, æstus quandoque major esse solet: quia æstus in illis sequitur Occani æstum in quem se exone-rant.

§. 17. Si quæ in hoc motu Anoma-lia contingat, ea ad Maris, Sinuum, scopulorumque anfractus, obliqui-tates, angustias, profunditates, va-dositates & occursus aquarum mu-tuos referenda: His enim de causis Aqua citius vel tardius, majori vel minori copia ad quædam littora per-venit, aliasque varietates subit quas viæ per quas fertur, subministrant.

## Disputationum Physicarum

### Decima Quinta,

*De Mineralium & Metallorum Ortu, deque  
Principiis Chymicis, itemque de Acido &  
Alkali.*

F 5

Terra

**T**erra non est Elementum simplex & ubique sibi simile, sed quasi seminarium omnis generis corpusculorum sibi adhærentium & quodammodo vel quiescentium, vel à materia Cælesti agitatorum; unde dum materia Cœlestis ea corpuscula interfluit, non potest non crassiorum corpusculorum angulos aut ramos, quibus invicem implicabantur, deterrere, ut tandem aliqua talium corporum lævia atque rotunda reddantur; ut quamvis ob gravitatem sibi mutuo incumbant, caloris tamen fortioris gradu partes talis corporis facile agitantur & sursum elevantur, quod Argentum vivum seu ♢ vocamus.

§. 2. Abrasi vero rami angulique dum ulterius à varia caloristum subterraneum solaris agitatione, per durissimorum corporum terræ meatus & poros pelluntur, durisque eorum parietibus allisi & afficti, gladiolorum instar aut acicularum acuntur,

untur, huncque *Spiritus Acidus* & erodentes, qui vi caloris subterranei, per varias crustas terrae, & præcipue inferiorem, Metallicam dictam, sursum pelluntur, secumque rapiunt abrasas particulas Metallicas, cum quibus postea in poris petrarum supremæ crustæ, quam inhabitamus, concrescunt, & salia multa terrestria & Vitriola varia Metallorumque venas, in quibus varias particulas Metallorum, magnitudine, figura & textura differentes producunt, aliaque salia ut nitrosa & aluminosa componunt.

§. 3. Quædam denique particulæ intenues ramos plumillarum instar a calore disceptæ, ideoque flexiles & cito inflammabiles redditæ, Sulphura, Bitumina omniaque pingvia & oleaginosa constituunt.

§. 4. Quæ vero particulæ tertii Elementi, post variarum particularum, seu acrion seu ramosarum & flexibilium evaporationes manebant,

bant, plurimis poris & meatibus angustis perviae factae sunt, Elemento secundo seu Æthere, & primo Elemento repletæ: Quare substantiam porosam texturamque raram nactæ sunt, quæ in quibusdam superficiebus cohærebat. Talem materiam Moderni Alkali vocant.

§. 5. In cuius poros si succi illi seu spiritus acrestenuiores, quos Acidum Neoterici vocant, inciderint, Materialm secundi Elementi seu Æthera in spaciola sua triangularia Primum Elementum complectentem expellunt; Unde Materiæ primi Elementi porta panditur ad abundantius influendum, quæ oxyssimè influxa, incipit agitare Acidum & Alkali, donec compages Alkali solvatnr & in calcem redigatur, Acidum vero suo acumine privetur, ac utraque substantia in unum corpus, à prioribus duabus suis principiis dissimile coëat, quod vel salem, vel aliud corpus novum animale, vegetabile vel mine-  
rale.

rale componat, pro cuiusque principii natura atq; indole.

§. 6. Hinc patet, utrumque tam Acidum quam Alkali varium esse, & 1. Ratione subjecti vel est *Animale*, *Minerale* vel *Vegetabile*. Quorum Minerale est potentissimum, reliqua duo mitiora sunt, 2. Ratione crassitiei & tenuitatis utrumque est vel *Fixum*, magis minus multis gradibus, quod Ignis & caloris gradus varios perfert, ut Alkali retorridum in minerali regno & arena. Item in animali, ut in oculis cancri, putaminibus ovoru, & vegetabili, ut in Corallis & similibus. Acidum vero fixum in minerali potissimum regno manifestum est. Vel *Volatile*, quod caloris gradus quandoq; minimos fugit, sive Acidum sive Alkali fuerit, qualia in animalium conspicuntur urina, sanguine, cranio, pilis & cc. Herbis denique antiscorbuticis & in spiritu Tartari invenitur.

§. 7. 3. Dicitur hæc *Manifesta* vel  
*Oc-*

*Occulta*, volatilia quidem omnia odo-  
re penetrantissimo & acerrimo sa-  
pore se produnt. *Occulta* vero vix-  
ullo sensu discernas, ut in *Aqua sim-  
plici* & *insipidis aliis*, quæ his pugili-  
bus sæpe non vacant.

§. 8. 4. In *Animalibus* & ipso homi-  
ne differt ratione ætatis, sexus, ali-  
mentorum , itemque sanitatis &  
morbi; Aliam quoque naturam ob-  
tinet in ventriculo , gladulis , in  
lymphis , in pancreate , in saliva  
etc. Unde alium sortitur effe-  
ctum in hac, alium in illa parte, tam  
ratione usus publici, quam privati.

§. 9. Hisce duobus corporibus Aci-  
do nimirum & Alkali, omnem vim a-  
gendi movendiq; tribuunt Neoteri-  
ci, ideoque omnibus rebus in quibus  
est aliqua generatio vel mutatio,  
hæc duo inesse perhibent. Rerum  
quoque corruptionem ab his pugili-  
bus deducunt.

§. 10. Atque Acidο quidem *Efficien-  
tis* & *principii Formalis*, Alkali vero *Pa-  
ti-*

tientis sive principii *Materialis rationē* tribuunt; Unde hoc Fœminam, illud Marem vocant: Quia ex horum utriusque conjunctis virtutibus fœcunditatē vivificam rebus impar-tiri animadvertisunt.

§. 11. Largimur haud inviti, hæc corpora Naturæ in actionibus tam nobilibus, generationis scilicet, vitæ ac vegetationis, nobilia ministeria præstare; ob eamque causam Natu-ræ congrua & utilia instrumenta es-se, quibus etiam agendi vim atque potentiam tribuere Medici solent; Sed dandum hoc Artificibus, qui quandoque ex usu Artis organo tri-buunt quod Efficientis est. Dicimus namque cultrum acutum bene scin-dere, quamvis scindendi vim in se, nisi dispositivam, non habeat,

§. 12. Ait Philosophis ita loqui & sentire veritas non permittit: Nul-lum namque Acidum vel Alkali in se, à se, & perse, motum habet; Ideo-que Effective ad Fermentationis acti-ones

ones tam nobiles non concurrunt. Hoc enim soli Materiæ cœlesti seu primo Elemento datum, quæ semper in statu & ~~intelleξει~~ Motus est omniaque quæ in mundo sunt & moveri debent, ad motum *Effectiue* suscitat.

§. 13. Sufficiat itaque si dicamus hæc duo necessaria Naturæ instrumenta esse, quæ *dispositiue* duntaxat ad Fermentationis actum concurrunt; Unde fermenti rationem habent, quod occasionem dat Materiæ primi Elementi influendi in hoc vel illud subiectum , in quo ebullitionem quandam vel fermentationem peragit.

§. 14. Prout itaque fermentorum naturæ variant, ita variae sunt fermentations in Regno Minerali, Vegetabili, vel Animali: Unde ab his potissimum omnis in generationibus aliisque fermentationibus naturalibus varietas dependet.

Dispu-

# Disputationum Physicarum

## Decima Sexta,

### *De Igne ejusque Effectis.*

**I**gnis apud nos nec simplex, nec proprium Mundi sublunaris Elementum est; Sed ex primi & tertii Elementi materia compositus. Quandoquidem Materia primi Elementi aërem, lignum, aliamve Tertii Elementi materiam quaquà versum agitat & comprehendit, ut in ea fluere ejusq; quodammodo formam induere videatur: Quod ex modis, quibus acceditur, conservatur ac extinguitur, porro evidentius evadet.

**§. 2.** Accendiur Ignis cum Materiæ primi Elementi datur occasio & via influendi in Materiam aliquam tertii Elementi quæ sic disposita est, ut Materiam primi Elementi solam intra suos angustos meatus recipere, Æthereos vero globulos excludere valeat. Talem dispositionem habent omnia potentia calida dicta, quæ ramosis flexilibusq; & tenuibus

**G** patri-

partibus prædita sunt, ut aër, resina, teda & quæcunq; præterea pinguis materia, intra quam exigui sunt meatus, primo Elemento permeabiles: quosdum primum Elementum occupavit, partes circumstantes statim agitat, eoque non tantum Æthera â se pellit, ut ille vicissim continua serie per directum vel organum visus premit, sensumque luminis excitat, vel ad corpus aliquod opacum feratur, in eoque varie modificatus & ad oculum reflexus, colorem vultusque rerum in sensu inducat; Sed & cæteris Tertiæ Elementi particulis contiguis motum varium impartiat, caloremque in sensu efficiat.

§. 3. Causa ergo Ignis *Principalis seu Formalis* est Materia primi Elementi, quæ in Sole & astris sensibiliter collecta, insensibiliter vero per totum universum intra exigua illa spacia globulorum Æthereorum dispersa, continuo, celerrimoque motu movetur, Causa vero *Occasionalis seu Materialis,* qua

qua Ignis accenditur, observatur I.  
in Materia aliqua Tertii Elementi  
prius accensa, cuius impullu & ad-  
hæsione, nova materia alia Tertii E-  
lementi accenditur. II. In collisione,  
vel continua attritione duorum cor-  
porum ad invicem. III. In radio-  
rum solarium refractorum vel refle-  
xorum unitione. IV. In fermentatio-  
ne & ubi Acidum cum aliquo Alkali  
permiscetur.

§. 4 His de causis oriuntur in *Aëre*  
Meteora Ignita dicta, ut fulgetra,  
stellæ trajicientes etc. In *Aquis* ipsis  
marinis pulsis navigantibus lumen  
momentaneum appareat, quod nau-  
tæ *Mareld* vocant. In *Terra*, ut mon-  
tibus Vulcanis, à quibus oriuntur  
Thermæ, ut ante dictum est, ligno  
putrido, ventriculis, cordibus, san-  
gvineque animalium vel calor ori-  
tur, quem calidum innatum vocant;  
vel lumen accenditur, quod in capil-  
lis animalium, lampyridibus pisci-  
busque salitis in densissimis sed tene-  
bris quandoque cernitur. §. 5.

§. 5. *Conservatur Ignis eisdem de causis, per conveniens scilicet pabulum, quod suppeditant corpora pinguis & resinosa. v. g. Candela vel teda, in cuius ellychnio dum accensus est Ignis, partes ejus oleaginosas ita agitat, ut in primo Elemento natent, sursumque celerimè fluendo Flamnam acuminatam constituant, cuius partes cum tardius fluunt, Fumi formam accipiunt, qui si sistantur, caminoque adhæreant, Fuliginem compонunt.*

§. 6. *Quo in motu flamma particulas aëris de loco pellit, & hæ vicissim per circuitum in locum particulatum accensarum & consumtarum ad ellychnium deorsum petunt, Elementoque primo, continuo dum ardet candela, ex colliquatis particulis ceræ vel sæbi, nisi quid aliud obstet alimentum, appellunt,*

§. 7. *Hinc patet ad conservationem Ignis, præter materiam Tertii Elementi combustibilem & resinosam, requi-*

requiri aliquam materiam, cui Ignis  
ellychnii instar adhæreat, ex qua no-  
vam semper materiam habeat,  
quam in locum abeuntis fumi conti-  
nuo substituat, alias Ignis non vivere  
posse dicitur.

§. 8. Prout autem hæc materia  
combustilis tenuis aut crassior, ita  
majorem vel minorem vim combu-  
rendi Ignis obtinet. Quibus enim  
combustilibus salia vel succi acres  
admisti sunt, ut Nitro, suspuri & Bi-  
tumini non modo valdè Secundum  
Elementum accensa dispellunt, Sed  
& corpora magna, ingentesque mo-  
les diruunt, ut ex pulvere pyrio ac-  
censo constat; aquarumque præci-  
pue falsarum largam asperginem e-  
ludunt, quod ex pyrobolis aqueis,  
metallicisque fusionibus apparet.  
Spiritus vini, contra, accensus tam  
debilem flamam producit, ut vix lin-  
tea in eo intineta comburere possit.

§. 9. Si Materia combustilis diver-  
sarum partium Ignis subjiciatur, tum  
G3 primo

primo comburuntur partes tenuissimæ & tenuiores, quas primo in *Fumum* mox *Flammam* resolvit, inde mediocre, tandem crassiores aggreditur, in quibus cohærentibus quam diu Ignis gliscit, tota materia *Pruna* vocatur, si eam deserit *Carbo* dicitur, qui niger est. Quia abs sumtis partculis tenuioribus, plurimis meatibus pertusus & fuligine obsitus lumen suffocat. Consumpto carbone relinquuntur partes crassissimæ quas *Cineres* vel *Calcem* appellamus; *Calcem* dum in una massa cohæret, cineres vero si in pulverem statim redigantur.

§. 10. Hinc effectuum Ignis diversitates facilius intelligimus, quæ omnes à diversis Ignis gradibus, materiæque combustilis diversa compositione & textura dependent: Tenuia namque, levia & pinguis, leni igne mollescunt, paulo fortiore liquefcunt, fortissimo ebulliunt & effervefcunt, tandemque in vaporeselevantur.

tur.' Gravia vero crassa que non tam leviter liquefiunt, nec nisi vehementissimâ diutinâque flamma avolant.

§. II. Corpora quibus multæ, tenues, flexilesque crassioribus sunt intertextæ partes, eorum tenues volatilioresque Igne leni exhalant, crassioribus relictis, quæ siccantur & indurantur, ut in Luto & Corio. Dura vero corpora lenis Ignis vix immutat, fortis vero emollit, ut in Ferro candente. Tandem vehementissimus etiam Calcem & cineres lævигat, liquat & in vitrum convertit, quod dum candet molle est, omnesque figuræ facile suscipit. Frigidum vero induratur, ac fragile magis minusque redditur, prout citius vel tardius refrigeratur. Pellucet & flexum resilit propter poros, ut ante dictum est, quos si alia materia subeat, quæ igni resistit, minus pellucidum sit, vel plane opacum, variisque coloribus, pro materiae dispositione tintum redditur.

**§. 12.** Extinguitur Ignis dum vel ob-  
ruietur vel destituitur. Obruitur mate-  
ria sibi vel amica & conveniente, vel ini-  
ca. Amicam voco Ignis alimentum,  
combustilem pingvemque materi-  
am, quæ si majori copiâ quam Ignis  
consumere, h. e. agitare valet, tum  
gravitate sua deorsum ruendo Ignē  
suffocat, ut oleum nimium ellychnio  
affusim, vel inversa candela osten-  
dunt. Inimicam materiam voco *A-*  
*quam dulcem*, quæ ob lævitatem flexi-  
bilitatemque suam multum materiæ  
Secundi Elementi intra flexus sua-  
rum partium continet, facileque po-  
ros corporum, quæ uruntur, subit, &  
ne amplius ignescant impedit, ad-  
mittendo multum Ætheris, qui I-  
gnem dissipat & intra sua interstitia  
recondit.

**§. 13.** Destituitur proprio scilicet a-  
limento, dū amplius nihil habet quod  
convertat in flumen igneum, quo  
materiam Secundi Elementi repel-  
lat, unde materia ætherea Ignem ex-  
suis

suis locis exturbat, & intra spatia sua triangularia abscondit, ubi amplius non ientitur: quare *extingui* dicitur. Quod tamen non est in nihilum abi-  
re, sed in intensibiles partes dividi &  
dissipari.

### Disputationum Physicarum

#### Decima Septima.

*De Magnete ejusque Effectis & Proprietati-  
bus.*

**C**ausa efficiens operationum Magne-  
ticarum, qua talium, est Materia  
primi Elementi, non illa quidem quæ  
ex indefinitæ parvitatis particulis  
constat; Sed quæ ex majoribus an-  
gulis globulorum æthereorum exci-  
fa inter triangularia spacia globulo-  
rum mansit, ubi in *Materiam striatam*,  
quæ à tribus augulis spaciolorum,  
quibus inclusa & inter quæ mota est,  
tres strias seu alas nacta est in mo-  
dum cochlearum intortas.

§. 2. Quæ materia striata dum à Sole  
cæterisq; astris per eorū Ecclipticas  
effluit, & in nostrā Terrā juxta Polos

ejus jugiter influit, in crusta illa terræ, quæ Igni centrali proxima est, multos poros, axi mundi parallelos, tribus striis constantes excavat, per quos ab uno Polo venientes particulae striatæ pergunt ad alium, ita tamen, ut illæ particulae quæ à Polo Australi veniunt, nullo modo possint intrare eos poros quos efformarunt particulae à Polo Boreali venientes, & contra, propter contrarium situm crenatum & alarum in materia striata.

§.3. Unde intelligitur quodnam sit *Subjectum primum & principium dispositivum Operationum Magneticarum terræ, nimirum crusta infima ac Igni centrali proxima*, per quam dum materia hæc striata ab uno hemisphærio in aliud transivit, non potuit per eosdem poros, per quos exivit, intrare, & reverti, quare coacta est per circumfusum Æthera redire ad idem hemisphærium per quod terram ingressa est. Unde terrā circum-eundo

eundo vorticem componit, qui *Sphæra activitatis Magneticæ* dici potest.

§. 4. Quoniam vero materia striata, permeando infimam crustam terræ, non potest non cæteras etiam superiores ingredi, in quibus tamen similes poros excavare non potest: quia molliores sunt, & quibusdam in locis fluidiores quam ut in iis certi figurati pori conservari possint. Quibus vero in locis & partibus terræ materiam invenit duriorem, ut in Ferro, Magnete & Chalybe, in illis porosib[us] similes efformat, unde in crusta hac Terræ suprema, quam nos inhabitamus, Ferrum & Magne operationum *Magneticarum* subjecta sunt propria & adæquata, non vero Aër, Aqua, Aurum, Argentum, Cuprum, Stannum aut Plumbum; quia minoribus poris & mollioribus particulis constant, quam ut in iis tales striæ servari possint.

§. 5. Differunt tamen Ferrum & Chalybs à Magnete, quod in Magne-

te sint pori ad certum Polum mundi determinati, sed in Ferro & Chalybe incertum situm obtinent: Quia dum coquitur Ferrum & præparatur, Ignis agitatione malleorumque contusione turbantur pori; Sed si Ferrum & Chalybs in Igne candefacta diu eundem situm, donec refrigerata fuerint, retinuerint, Magnetica redderentur, propter multam materiam striatam primi Elementi quæ est in Igne, porosque Ferri candentis sic disponit quos frigefactū servat.

§. 6. *Proprietates Magnetis sunt Poli duo, Axis & Äquator.* Polorum *Australis* est punctum medium ejus partis Magnetis in qua sunt orificia meatum, per quos ingrediuntur particulae striatæ venientes ab Australi Cœli parte. *Borealis* vero est punctum medium alterius partis, per quod hæ particulae egrediuntur, vel aliæ venientes à Septentrione ingrediuntur. *Axis Magnetis* est linea in medio Magnete, recta ab uno Polo in alium ducta.

ducta. *Aequator* est linea axem secans ad angulos rectos.

§. 7. *Effectus & operationes Magneticae* plurimae sunt, quarum plures enumeravit Gilbertus, quae reduci possunt ad has tres, Directionem, Conjunctionem & Excitationem. *Directio Magnetis* est determinatio & conversio duorum Polorum Magnetis ad Polos vel aliam plagam mundi, à materia striata, quæ per Polum unum corporis Magnetici intrat & per aliud exit, eoque flumine axem corporis Magnetici mobilis & liberi, ita dirigit, ut axi mundi parallelus reddatur.

§. 8. In qua directione si duo Magnetes, vel Magnes cum Ferro Magnetico conjungantur, unus *Movens* alter *movendus* dicitur: Quæ duo ita ad se invicem diriguntur, ut Polus Australis corporis movendi dirigatur ad Polum Borealem corporis motus, & Borealis ad Australem. *Quod non tantum procedit in integris,*

gris, sed etiam in segmentis à se mu-  
tuο separatis, cum integrorum ratio-  
nem habeant. Cujus rei ratio est,  
quod in conjunctis partes Australes  
se invicem contingebant, & Borea-  
les cum Borealibus cognomines  
sunt, quæ nunquam in duobus Ma-  
gnetibus conjunguntur.

§. 9. *Directio Magnetica* est vel *Sim-  
plex* vel *Composita*. Illa est cum corpus  
Magneticum movendum simplici-  
tur à corpore Magnetico movente  
versus aliquem Polum dirigitur. Est-  
que vel *Recta* vel *Inclinata*. Illa fit pa-  
rallela linea axi inter Polos, hæc vero  
non nihil vel in sinistrum vel dex-  
trum, sursum vel deorsum declinat,  
ab inæquali materiæ Magneticæ in-  
fluxu proveniens, exqua directione  
fit ut pixis Magnetica quandoq; cir-  
cum Magnetem in orbem feratur.

§. 10. *Composita* directio dicitur cum  
à composita vi Magneticum moven-  
dum dirigitur, ut cum à pluribus  
**Magnetis**, vel à vi gravitatis simul  
mo-

movetur. Prior apparet in Oceano ad littora Affrica & Brasiliæ, ubi acus Magnetica à Polis telluris declinat, quæ declinatio, *variatio Magnetica* dici solet.

§. II. *Coniunctio Magnetica* fit cum corpus Magneticum movendum bene directum ad corpus Magneticum movens appellatur, vi materiæ striatæ, quæ permeat corpus utrumq; aëremq; intermedium inter utrumq; corpus abigit, qui vicissim circuitum faciens post corpus movendū se recipit, ac illud ad corpus movens adpellit, unde ea corpora Magnetica, quæ se immediate tangunt, tanto facilius disjiciunt aërem intermedium quo firmius inter se cohærent.

§. 12 Quia particulæ striatæ à Polo Australi sehi-  
entes non possunt ingredi per Australem, nec à Borealem  
per Borealem; Hinc coniunctio Magnetica fit non per  
Polos cognomines sed per oppositos, atq; in Philosophia  
Magnetica non simile simili, sed contrarium contrario  
gaudet. Hinc etiam Magnes non tam trahit quam fugat  
ferrum. Quia conjungitur Ferro in Polis contrariis,  
sed fugat in Polis similibus & cognominibus.

§. 13. Excitatio Magnetica est qua vel major vel  
minor

vis magnetica directionis vel conjunctionis in corpore Magnetico, Magneti satis probe exhibito excusat à materia striata vehementius in poros alterius corporis Magnetici propinque exhibiti ingrediens, ubi plures poros aperit, & fibillas in poris illis ementes ita disponit ut plus materiae striatæ recipiat.

§. 14. Si augetur vis Magnetis dum Ferro armatur vel in resto suu Magnes disponitur & diu. Ita Ferrum oblongum Magnetis viribus imprægnatur, si diu situetur parallelum axi Terræ, vel si certo modo cum Magne fricitur ut asus nautica gestatur. Quia ipsa excitatione nihil de viribus Magnetis decedit; cum vis Magnetica ab externo dependeat, ad quod accedit propria Magnetis disposatio.

§. 15. Hæc vis Magnetica attractiva obserbatur etiam in succino & vitro, perassiduam afflictionem calefactis, que Chartas, paleas, etc. per exhalationem ex iis exeuntem vorticemq; facientem ad sepellunt. Cuius materia subtilis admirandos effectus experimur præterea in pulv Sympathetico & unguento armario, & quidem in distans aliisq; similibus casibus quos ad Sympathias & Antipathias referunt. Nam unum quodq; corpus aliquid singulare habet in sua figura interna; quod dum materia primi Elementi penetrat etiam ab eo non nihil disponitur, ut in aliis corporibus recipi nequeat, unde brevissimo tempore ad locæ, ubi similes poros invenit, quamvis remota, redeat necesse est.







Pa 683  
S

KBA 70 m.c.



# Farbkarte #13

B.I.G.



PETRI HOFFWENII  
Doctoris Medici & Professoris  
ordinarii Upsaliensis  
**S Y N O -**  
**PSIS PHYSICA,**  
Disputationibus aliquot  
Academicis comprehensa.  
Editio tertia



PERNAVIAE, 1700.